

Universitätsbibliothek Wuppertal

Davidis Ruhnkenii Opuscula Varii Argumenti, Oratoria, Historica, Critica

Ruhnken, David

Lugduni Batavorum, 1823

Epistolae

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1677)

DAVIDIS RUBINUS
EPISTOLAE
AD ROMANOS
AD GALATAS
AD EPHESIOS
AD COLLOSSENSES
AD THESSALONICENSES
AD TIMOTHEUM
AD TITUM
AD HEBRAEOS
EPISTOLA AD ROMANOS
EPISTOLA AD GALATAS
EPISTOLA AD EPHESIOS
EPISTOLA AD COLLOSSENSES
EPISTOLA AD THESSALONICENSES
EPISTOLA AD TIMOTHEUM
EPISTOLA AD TITUM
EPISTOLA AD HEBRAEOS

EPISTOLAE.

DAVIDIS RUBINUS

DAVID HUNTER
EPISTOLA
AD ROMANOS
CIVILIS ET POLITICAE
CIVILIS ET POLITICAE

EPISTOLA
AD ROMANOS
CIVILIS ET POLITICAE

Quod in Epistola ad Romanos
David Hunter tractat de
libertate civili et politica
et de iure naturali
et de iure gentium
et de iure civili
et de iure politico
et de iure canonico
et de iure ecclesiastico
et de iure medico
et de iure veterinario
et de iure pharmaceutico
et de iure chirurgico
et de iure dentario
et de iure podiatrico
et de iure optico
et de iure pharmaceutico
et de iure chirurgico
et de iure dentario
et de iure podiatrico
et de iure optico

DAVIDIS RUHNKENII
EPISTOLAE

AD VIRUM CLARISSIMUM

JO. DAN. RITTERUM.

EX HUCONIS HORREO JURISPRUDENTIAE
CIVILIS P. V. p. 341 sqq.

I.

VIRO EXIMIO,

JO. DAN. RITTERO

DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Quoties de Te, beneficiisque Tuis in me collatis cogito (cogito autem saepissime), toties mihi ipse succenseo, quod, Te haud salutato, e Saxonia discessi. Sed haec atque alia ineuntis adolescentiae vitia, cum jam praeclaris, ut mihi blandior, virtutibus sint emendata, non dicam Tu, quem ego longe omnium humanissimum aequissimumque cognovi, sed ne alii quidem rugosa mihi fronte exprobrabunt. Tibi quidem, o Rittere suavissime, semper jucundum erit, ejusmodi discipulum finxisse, qui et gratum piisque se praebeat, et immortalem laudem Tuam aliarum etiam gentium eruditus enarret. Diu multaque dubitavi, compellaremne Te literis, an tacitus

merita Tua, ut feci adhuc, in posterum quoque venerarer. Sed vicit tandem pietas pudorem.

Equidem fateor, hoc literarum commercium Tibi apud Vittembergenses nulli esse honori: at erit voluntati, et, nisi me omnia fallunt, alicui etiam emolumento. Quod si inde dedecus ad te perventurum putet, dissimules, quaeso, amicitiam nostram quasi postliminio restitutam. Cupio enim et ipse, nomen ut meum in istorum hominum animis extingatur. Jam scopulum illum, ad quem ne adhaeresceret meus pudor verebar, praetervectus, quid mihi ex eo tempore, quo a Te discessi, obtigerit, ordine quidem, sed breviter referam. Vix in Bataviam, liberalem illam ingeniorum altricem, perveneram, cum ecce! celsi ingenii juvenis, Tuique inprimis studiosus, Gerardus Meermanus, mihi *θεός ἐν μηχανῆς* appareret. Hic, postquam incredibile discendi studium, quo ardebam, animadvertisset, statim me studiis fratris sui minoris praefecit, ac, ne quid beneficiorum deesset, ita parentibus suis commendavit, ut ejus pater, vir illustris, quoad vixit, mihi patris loco fuerit, et mater etiam nunc matris loco sit. Cum Meermano igitur juniore tres fere annos in Academia Leidensi suavissime traduxi, ita quidem, ut et illi viam in literis praerem, et magnam diei partem summorum virorum lectionibus, mihi ipse consulens, tribuerem. In jure civili mihi dux et auctor obtigit Gerlacus Scheltinga, doctus et acutus Ictus, in quo facile Schultingii discipulum agnoscas; in historia et antiquitate Romana Franciscus Oudendorpius: in Graecis literis, delicias nunc meis, Joannes Alberti, inprimisque *δαίμων* ille

Hem-

Hemsterhusius. Hunc virum docentem audivisse, et cognovisse familiarius, in maxima felicitatis meae partem pono. Hic enim mente supra humanam sortem elevata, et immensa reconditae eruditionis copia Leidensi Academiae Scaligerum, Salmasium, et quidquid alias praeclati habuit, solus reddit. Triennio prope hic transacto, lautissimis conditionibus propositis, me in contubernium suum adscivit Vir praestantissimus, Jac. Philippus D'Orvillius, in quo adhuc, Musis meis laetantibus, vivo. Interim tamen, indulgente hoc Maecenate, fere singulis hebdomadibus Amstelodamo Leidam excurro: quo me non solum lux Academiae, sed bibliotheca etiam publica, antiquis membranarum quantum referta, invitat. Ex hoc thesauro potiora Constantino Harmenopulo ornamenta depromsi; ejus ego *πρόχειρον νόμων* cum plurimis MSS. et Basilicis, horumque synopsi collatum Indies magis ac magis perpolio, ut aliquando digni quid et Tua, mi Rittere, et ceterorum doctorum disciplina edere possim. Multae mihi praeterea in mundo sunt in graecos latinosque auctores animadversiones; sed in nullum plures, quam in illa toties mihi a Te commendata Cyrilli et Philoxeni Glossaria, quibus ego partim ingenio, partim MSS. Glossariorum ope, amplius sexcentis locis, feliciter medicinam feci. Sed satis de vitae, studiorumque meorum ratione. Nam omnia si persequi vellem, charta me deficeret. Tuis scriptis, mi Rittere, scias, nusquam terrarum dignius, quam hic, statui pretium. Ac licet Batavi nostri Te jam antea summis laudibus tulerint, nuper tamen, edito ultimo Cod. Theodosii volumine, insigne incrementum cepit fama Tua. In

quo opere cum alii alia mirantur, ego nihil tantopere miror, quam *εδοξίαν* illam criticam, qua locis depositis ac prope desperatis Novellarum Theodosii, Valentiniani etc. et lucem et medelam attulisti. Quantisne laudibus Observationum libri ornabuntur, quorum desiderium vix ferunt harum literarum studiosi? Omnino sunt Batavi nostri acerrimi ingeniorum censors. Quo fit, ut ex immensa ista Germanorum eruditorum turba vix novem decemve aliquo numero ab iis habeantur. Horum in censum, cum Tu, *κρίσεως* Rittere, imprimis referaris, merito Tibi de tanta felicitate gratulamur. Nullum hominum genus magis detestantur, quam impudentes istos compilatores, vel etiam eos, qui, etsi aliqua tradunt haud contemnenda, tamen, ut liber fiat, ipsis dupondiis nota inculcant. Dii boni! quoties illa Germaniae lumina (sic enim a suis celebrantur) et ego, et homines amicissimi, Wesselingius, Alberti, Wetstenius, alii, ridemus. Cui risui utinam et Tibi interesse liceret. Novimus enim, quantum Tibi supra cives Tuos sapias, animoque divinitus excitato agites altiora. Cum igitur Tu, Vir egregie, (huc enim revertor) jam illustre nomen apud Belgas nostros consecutus sis, noli in posterum concedere, ut scripta Tua limatissima Lipsiensibus typis foedentur. Et nomen Tuum, et qualiscunque in hac regione auctoritas mea cuius, quod paras, operi excudendo ejusmodi Tibi bibliopolam parabunt, qui et pro opera impensa liberaliter Tibi satisfaciat, et opus ipsum splendidis typis excubendum curet. Historia certe juris ut nitidissime et accuratissime excudatur, non Verbeekii solum, sed

ut ego operam sumus daturi. Neque ipse iis diebus, quibus Leidae versor, emendationem defugiam. Gestit animus cum totum opus videre, tum illam inprimis partem, qua juris Graeci historia explicatur: quam Te multo accuratius tradere et posse et velle scio. Latent etiam in Adversariis meis, quibus Suaresii Notitia non mediocriter et suppleri et emendari possit.

Meministi fortasse, Optime Rittere, me Tibi adhuc Minerual debere. Hoc debito ut me exsolvam, constitui ad Te mittere quosdam libros recens hic editos, edendosve, qui ad artem nostram pertinere videantur. Invenies igitur Lipsiae proximis nundinis a me transmissa

- 1) Barnabae Brissonii Opera Minora Omnia, cum animadversionibus Alb. Dieter. Trekellii fol. quae cum maxime prelum exercent. (Tua hic de Cognitoribus disputatio eximie laudatur)
- 2) Ejusdem Trekellii Antiquitatum Selectarum Pars prima, in qua agitur de Jure Civitatis, Quiritium, Latii, Italici, Coloniarum et Municipiorum. Hagae Comitum 1746. 8. Vellem hic liber Tibi ad manus fuisset, antequam notas in Heineccii Historiam Juris perfecisses. Multa Auctor nova tradit, nonnulla tamen arguta magis, quam vera.
- 3) Gerardi Meermani Animadversiones criticae in Caji Institutiones.
- 4) Matthiae Roeveri, viri longe doctissimi, Diss. ad loca quaedam Juris civilis depravata. Leidae

1739. 4. Saepius hic emendantur Novellae Valentini, Majoriani, etc.

- 5) Ej. Roeveri Fragmentum veteris Icti de juris Speciebus et Manumissionibus Graece et Latine, itemque Emendationes in Glossas Nomicas, Leidae. 1739. 8.

Quodsi forte unus et alter horum librorum Tibi jam obtigerit, velim me certiolem facias, ut alius in ejus locum substitui possit. Alio tempore Tibi dono dabo, aut potius ut debitum solvam, novam Theophili editionem, Fabrotiana infinitis modis meliorem, quam nuper prelo subjecit Ictus Graece doctissimus, Otto Guilielmus Reitzius; qui etiam aliquot meas conjecturas adjiciet.

Atque hic scribendi finem facerem, nisi Te scire vellem, quam me nunc puderet Diss. de Galla Placidia Aug. non quod Tuas Tu partes minus bene egeris (omnia enim docte et luculenter exposuisti), sed quod ego praeclare a Te inventa Bergeriano i. e. declamatorum more ita calamistris inussi, ut ejus, quod in historica narratione naturale esse debet, nec vola nec vestigium supersit. Quare, si quando illam una cum aliis edere constitueris, quod Tuum est, Tibi vindicanda, nomen meum dele, habitum orationis muta, et Tuo naturali nec affectato scribendi genere omnia exorna. Sed iterum aliud succurrit. Fortasse brevi D'Orvillii nostri sumtibus iter suscipiam in exteras regiones, inde codd. MSS. et variis lectionibus onustus rediturus. Si quid in Bibliothecis, quod ad Cod. Theod. pertinet, offendero, illud omne Tuum erit. Exstant in ditissima Bibliotheca Leidensi duo Codd.

mem.

membranacei Summarii Corporis Alariciani, alter quondam Alexandri Petavii longe vetustissimus, alter Isaaci Vossii paulo recentior. Utrumque, si jusseris, cum edito committam. Nunc tandem desino; quamquam plura, quae Tua scire refert, sunt praetermittenda. Vale igitur, Virorum, quos novi, doctissime et integerrime, ac pientissimum, nec indignum fortasse Te discipulum, ut quondam amasti, ama. Scribeb. Lugduni Batavorum, ex aedibus fratrum Verbeekiorum. d. 29. Jul. 1747.

Fratres Verbeekii plurimam Tibi impertiunt salutem, nec dubitant, quin jam acceperis ab Huhnio Advocato Lipsiensi, cum Jurispr. R. et A. tum praemium 70. thal. Literas ad me tuas velim iis, quos ad Verbeekios mittis, includas. Nobiliss. Uffenbachius (*) (quod paene scribenti exciderat) postquam hic Juri publico et privato diligentem operam navasset, in Galliam profectus est, indeque in patriam redibit. Ego vero de mea patria repetenda nunquam cogito. Jam enim *λατὸν ἔφαγον*.

[(*) Fortasse hic fuit ille juvenis quidam nobilis ac dives, quo comite Ruhnkenium in Bataviam profectum scribit Cl. Wyttenbachius in ipsius Vita p. 19.]

AD
II.
VIRO INGENII ET DOCTRINAE LAUDE
FLORENTISSIMO,

JO. DAN. RITTERO

DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Ita mihi prospera quaevis evenire velim, ut literae
Tuae incredibili animum gaudio perfuderunt. Macte
Tuo hoc erga me amore, Tibique certo persuadeas,
me nullis unquam, quae ab amico proficisci possunt,
officiis defuturum. Libellos, quos nuper designavi,
jam per Verbeekios fratres ad Weidmanniam transferen-
dos curavi. His adjungere visum fuit Coluthum de
raptu Helenae, quem poeta et Criticus eximius, Jo.
Dan. Lemnepius, me etiam paucula (*) suppeditante,
nuperrime publici juris fecit. Codices legis Roma-
nae, simulatque plus otii fuero nactus, cum edito
exemplari committam. Cl. Burmannus eos hic extare
vel nescivit, vel, ne sibi conferendi labor imperaretur,
scire se dissimulavit. Utroque Codice Duumvi-
ros egregios, Roeverum et Meermanum usos esse de-
prehendes. De Harmenopuli Cod. Florentino bene
mones. Verum etiamsi neque D'Orvillius, neque
ego sumtibus parceremus, tamen, quod desideramus,
vix videmur posse obtinere. Nam Itali hodierni Grae-
ca;

[(*) Quod ejusmodi fuerit, diximus in Praefatione.]

carum literarum, et prope est, ut dicam, omnis humanitatis adeo sunt expertes, ut vix unum noverim, cui sine periculo conferendi negotium committam. Hi cum nuper, D'Orvillii nostri rogatu, Coluthum cum Cod. Ambrosiano conferrent, rem tam praeclare, si DIS placet, gesserunt, ut ingeniosissimo Lennepio identidem in notis dicendum fuerit: *modo collatio sibi recte facta*. Saepe nunc rideo Bergeri iudicium, qui jejunis istis et famelicis Italis primas in literis deferre solebat. Sed forte jam aliter iudicat, postquam maximum, quem iactabat, Heroa, Muratorium in puerorum ordinem redactum videt. Verum etsi nulla alia Harmenopulo, quam quae jam ad manus sunt, accederent ornamenta, esset tamen, de quo sibi impensius gratularetur. Namque secundis avibus dilhi obtigerunt Viri graece ad miraculum docti, et Cujaciana disciplina perpoliti, Gerardi Falkenburgii Conjecturae et Collationes cum duobus Codd. Venetiis factae, eumque in finem conscriptae, ut cum ipso Harmenopulo luce publica donarentur: id quod didici ex Lennelavii ad doctissimum civem Tuum, Thomam Redingerum, Epistola I. ovellis Graecis post Synops. Βασιλικῶν praemissa. Sed praeterea ex amicorum Bibliothecis exspecto Antonii Contii Conjecturas ineditas, et Claudii Salmasii Collationes Codd. Palatinorum. Ac, ne jam de aliis subsidiis dicam, quantum putes Harmenopulo vel lucis vel medelae afferre cum majus opus Βασιλικῶν, tum horum Synopsin, a me cum Codice Vossiano collatam? Vere enim Cujacius dixisse videtur, Harmenopulum esse *Σύνοψιν συνόψεως βασιλικῶν*. Extat etiam in Clar. Bergeri Bibliotheca

Harmenopulus Svallebergii cum notis MSS. Alciati, et aliorum; quem sibi, cum Amstelodami versaretur, e Petri Francii sectione comparavit. Vellem, mi Rit-tere, hujus libri usuram per paucas horas impetrare, indeque enotare posses, quae alicujus videantur momenti. Equidem pro tanto beneficio immortales Tibi gratias et publice et privatim agam. Nuper non sine ingenti voluptate in Bibliotheca Leidensi detexi Thalelaei, Theodori, aliorumque Scholia, vel potius Commentarios in Titt. D. *de Postulando*, et *de Defensoribus et Procuratoribus*: quae cuncta jam a me descripta hominibus literarum studiosis non invidebo. Habent nonnulla communia cum iis, quae Fabrotus in *Βασιλικ.* sub his Titt. vulgavit: sed tamen adeo differunt, ut, cum Fabrotiana vix viginti, nostra centum amplius foliis constent.

Trotzius hic omnium ore vapulat. Quis enim paulo humanior ferret ejus compilandi impudentiam, morum ferocitatem, aliisque obtrectandi libidinem? Quid amiciss. Wesselingius de eo judicet, in notis ad Petitum leges. Wybo, van de Water et Noordkerkius civilibus negotiis adeo distinentur, ut nihil amplius quod jurisprudentiam nostram ornet, ab iis exspectandum esse videatur. Nunc tibi Nova, quae vocant, literaria velut per lancem saturam exhibebo. Atque, ut hinc ordiar, prodiit nuper editio Virgilit Burmanniana, in qua Servius multo et integrior et emendatior comparet. Petrus Burmannus Junior, Patruo suo aut par aut major futurus, dedit Specimen Novae Anthologiae Latinae, et Catalectorum veterum poetarum. Valkenarius, ὁ ἑλληνικότατος, Fulvii Ursi-

ni Virgilium cum Graecis scriptoribus collatum insignibus accessionibus ditavit. Abrah. Gronovius Pomponium Melam, Dukerus Florum, iterum foras prodire jussit. Duo etiam Icti mediocriter docti, Markartus et Vryhovius, Probabilia et Observationes Juris vulgavere: quibus tamen non aegre caruissemus. Texam etiam illorum scriptorum indicem, quibus perpoliendis ingenia Belgica etiam nunc occupantur. Oudendorpius igitur parat editionem Apuleji, Hemsterhusius Aristophanis, et Thomae Magistri, Heringa Geographorum Minorum Hudsonii, Wesselingius Artemidori, Schraderus Juvenalis et Persii, Gronovius Nicandri, D'Orvillius scriptoris erotici, Charitonis Aphrodiensis, et Commentarii in Muratorii Inscriptiones; Abreschius Aristidis, Valkenarius Sophoclis, Drakenborchius nonnullorum librorum Ciceronis, Meermanus Pauli Sentent. recept., Röverus Glossarii Nonici, Cannegieterus Commentar. in Leges Callistrati. Inter Ictos nostros egregia etiam molitur Guilielmus Pauwius, Curiae Senator, et Bynkershoekii gener, Observationibus Juris *ἀνανύμωσ* editis clarus. Leidae elegantioris Jurisprudentiae laudem solus sustinet Gerlacus Scheltinga; Nam, quod mireris, Noodtii et Schultingii cathedrae a stupidissimis terrae filiis, Rückero et Schwartzio, occupantur.

Jo. Lud. Uhlius, homo mirifice ventosus, nuper scriptis ad bibliopolas nostros literis contendit, ut vel Tomum primum Cod. Theodos. jam divenditum, ut ajebat, vel integrum opus recuderent, additis Wiclingii Observationibus *ἀνενδόταις*. Quod quidem con-

silium bibliopolae nostri salse riserunt. Wielingius videlicet ejus judicio is erat, qui emendatiorem nobis hunc Cod. dare posset: cujus hominis scripta, dispe-ream, nisi prope tot ἀποδείξουσα contineant, quot verba. Variæ lectiones, quas Jurispr. Antejust. Lipsiensi subjecisti, hic separatim ingenti pretio venduntur: ipsa autem Jurisprud. ab omnibus repudiatur, idque cum propter frequentes operarum errores, tum propter insulsissimam Ayleri præfationem. Jam bibliopolae nostri de nova editione cogitant; cujus curam utinam Tu in Te suscipere velles. Namque non est dubitandum, quin Tu, tam sagaci ingenio Vir, plurima jam vel aliud agens restitueris. Multa, quibus hæc editio ornari posset, habet Roeverus; multa Meermanus; nonnulla et ego. Nam pridem est, quod Collatorem Legg. Mosaic. et Rom. iterum ad Scaligeri ἀπόγραφον exegerim, et Dositheum cum membrana Vossiana contulerim. Cum Dosithei mentio incidat, scias, penes me ejusdem Jesse Glossas Graeco-Latinas, doctas hercle, et bonae frugis plenas, quae Philoxeni et Cyrilli Glossariis omnino adjici merentur. Heineccii Historiæ Juris, nisi grave est, velim adjungas Conr. Sam. Schurtzfleischii Animadversiones in Juvenalem, ejusque Scholiast. Vinariæ 1717. 8. libellum quam obvium in Germania, tam rarum in Batavia nostra, quo plura continentur ad Glossas meas pertinentia. Equidem Tibi alio tempore ἀντιδωρον dabo, quod sumtus, quos fecisti, facile compenset.

Fischerum propediem invisam, et, quid rerum agat, ad Te perscribam. Wetstenium Basileensem illum es-

se recte coniecisti. Ipse hic in Joannis Clerici locum successit, eique provinciae magna cum laude praest. Nihil hoc viro, si mores spectes, sanctius, nihil, si doctrinam Graecarum literarum et Antiquitatis Ecclesiasticae peritius. Utinam immortale, quod parat, Opus jam publice extaret, ut tandem desineremus foedissima Monachorum in Novo Foedere commenta pro Christi verbis exosculari. Nosti, plurimum etiam tribuere vetustissimis, quas consuluit, membranis. Sed tamen locum quoque dabit sagacium virorum conjecturis, V. C. Bentleji, Hemsterhusii, Marklandi, licet frontem contrahat vecors Theologorum natio.

Habes, quid in Belgio novi geratur. Jam accipe, quo loco res meae sint. Non mentiar, si dixero, me Regum felicitatem cum hac mea permutare nolle. Nihil mihi deest, neque divitiarum, neque voluptatis, neque honoris. Paene fidem superat Batavorum erga me studium; et quo quisque est eruditior, eo mei est amantior. Ex tot igitur hominibus mei studiosis cum veri intimique amici eligendi optio praebetur, elegi illum, quo solem nunquam putem vel candidiorem vel eruditorem vidisse. Isi summus Vir est, Joannes Alberti, quem ego mea, quique me sua humanitate ita cepit, ut alter absque altero vix cum voluptate vivere posse videatur. Theologus idem est, non ex illis *συνδρομοίς*, quales Tu quotidie vides, sed hilaris, affabilis, gratiarum plenus, et qui interdum sese ad doctas venustasque veterum nequitias demittit, cum Scaligero et eruditissimo quoque contendens, Sacram Scripturam non melius, quam

Catullo, Petronio, Priapejis, Stratonis *paedixois* etc. illustrari posse. Id quod tamen Tibi sub fide silentii dictum esto (*). Sed, ut de me dicere pergant, hoc ipso tempore fortuna mihi mea aliquid molestiae creat. Namque celsissimae dignitatis Vir, nempe Ordini Statuum Generalium adscriptus, me ingenti pecuniae vi, addita etiam certissima spe Professionis obtinendae, a praestantiss. D'Orvillio abstrahere tentat, ut unici, quem habet, filii studiis moribusque praeficiat. Quod quidem munus tam splendidum tamque lautum, si absque D'Orvillii nostri offensione fieri potest, fortasse a me capessetur; quamquam, ut verum fatear, aegre desero Musas D'Orvillianas. In posterum, si jusseris, ad Te scribam, quid de quoque Germanorum eruditorum judicent Batavi nostri. Nunc tantum scias, eos communi quodam consensu Critices latinae principatum inter Germanos deferre Schwartzio Altorfino; graecae, Reimarō; jurisprudentiae, Tibi. Sed tu etiam, mi Suavissime Rittere, quid in Germania novi geratur, ad me perscribas. Bergerum adhuc vivere credō; quamvis Belgae nostri jam inhient ejus Bibliothecae. Ejusdem Eclōgarium Corsicum cupide legunt. Sed, quas nup̄ in Stromateo edidit, Declamationes plane fastidiunt, mi-

[(*) Praestitit igitur haec nunquam edi: at semel edita suppressere nolimus: neque in literis ad amicum per jocum scripta ad vivum resecanda sunt, sed potius in mitiorem partem accipienda. Cf. ejusdem Ruhnkenii de Alberto judicium, apud Wyttenb. Vit. Ruhnken. p. 117—118.]

mirantes insuper tanti viri superstitionem, quam eo loco, quo de cruce a Constantino visa agitur, declaravit.

Haec ad Te scripsi verbosius, ut literas a Te eliciam aequae verbosas. Vale, decus nostrum et amor, Rittere. Dab. Amstelodami d. 19. Sept. 1747.

Salvebis a fratribus Verbeekiis. Ad hos in postergum quoque literas ad me Tuas dirigas.

 III.

VIRO EXIMIO,

JO. DAN. RITTERO

DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Commentarium Tuum in Heineccii Juris Historiam recte, scias, ad Fratres Verbeekios, Viros integerrimos, esse perlatum. Nulla pagina est, e qua non eluceat interiorum literarum, qua praestas, scientia. Nae Tu solus inter Germanos Ictos sapere videris. Fuerunt Leidae Icti quidam, praeposteri Heinecciani nominis admiratores: qui, cum ipsis a Verbeekiis libri inspiciendi copia esset facta, Heineccium aliquanto durius, quam par erat, a Te habitum querebantur; quique adeo Verbeekios prope adegissent, ut Te de acerbis dictis mitigandis compellarent. Horum

rum ego conatibus, ante aliquot dies Amstelodamo
 huc excurrens, commode intercessi. Ac, ne quid
 me amicitiae dare putarent, Verbeekiis auctor exti-
 ti, ut amicissimum Wesselingium arbitrum caperent,
 quem et Tibi favere noveram, et optime de hac re
 judicare posse. Is igitur, opere Tuo perlustrato, ita
 mihi rescripsit: *Equidem Heineccium suo merito som-
 per amavi, sed et hominem fuisse saepe comperi. Rit-
 terus τὴν σαφῆν, ut Graeci nostri ajunt, multaque
 erudite et egregie animadvertit. Potuisset, fateor,
 nonnulla lenius. Sed tamen, cur quidquam mutetur,
 causam non video. Suum cuique ingenium, scribendi-
 que color. Deinde inter alia addebat: Fastos merito
 emendavit. Sed restant quidam corrigendi.* Hos igi-
 gitur, si commodum visum fuerit, corrigas, aliisque
 curis posterioribus, suis locis a me inserendis, adjun-
 gas. Duae plagulae jam typis sunt exscriptae, idque,
 ut video, satis accurate; quas hodie Virorum longe
 maximo, Tiberio Hemsterhusio, legendas dedi. Is,
 tantum aberat, ut Tuam scribendi libertatem repu-
 diaret, ut potius, perbene Te cibo salem adspers-
 sisse, fateretur. Illorum, quos ante dixi, homi-
 num voculis in praef. obiter respondebis. Verbee-
 kii Te rogatum cupiunt, ut *titulum Operis*, quo
 Novellis inseri possit, propediem ad eos transmit-
 tas. Literis ad eos dandis, longissimas ad me,
 si me amas, fac, addas. Ab Ernesto, Viro poli-
 tissimo, nihildum literarum accepi. Sed fortasse
 suas jubebit adjungi Tuis: quod equidem sane vel-
 lem. Utinam per eum Cujacii Harmenopulus in ma-
 nus

tius meas perveniret! Digito mihi coelum attigisse
 viderer. Munuscula mea jam Tibi reddita puto. Vi-
 di enim apud Verbeekios epistolam a Weidmanniana
 scriptam, qua se libros accepisse testatur. De Tre-
 kellii, V. Cl. operibus Tuam mihi sententiam candi-
 de perscribas. Si quid Tibi est in Hesychium Emen-
 dationum, illud quam primum mecum communices,
 rogo. Plurimae in hoc auctore reperiuntur Glossae
 Seythicae, quas nemo Te expediret feliciter. Alteri
 Tomo, qui cum maxime prelum exercet, Conjectu-
 ras etiam meas inserit suavissimus Alberti. Audio
 interdum in Germania Codices MSS. vel publice vel
 privatim venales exponi. Tu si quid rescieris, facies
 me certiorum, ut illos Celeb. D'Orvillii nostri gazae
 vindicare liceat. Vale, Germaniae Tuae decus, me-
 que, ut amas; ama. Verbeekii Te salvere jubent,
 inprimisque animae dimidium meae, Gerardus Meer-
 manus. Dab. Lugduni Batavorum d. 22. Novembr.
 1747. ex aedibus fratrum Verbeekiorum.

IV.

VIRO EGREGIO,

JO. DAN. RITTERO

DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Etsi literae, quas nuper ad me dedisti, erant longiusculae, tamen propter singularem, quam spirabant, suavitatem mihi visae sunt brevissimae. Neque ullum verbum in iis legendis magis me defectavit, quam quo Te longiores in posterum daturum polliceris. Notas, quas adjeceras, doctas hercle, et Te dignas, suis locis inserui, et, ut accurate excudantur, curabo. Quatuor transmittimus plagulas, ut ex iis de accuratatione, qua opus inprimitur, iudicium facere possis; missuri plures, nisi haec sufficere visae essent. Nam postquam me cum Viri Illustrissimi filio (de quo nuper scribere me memini) Leidam contulerim, nulla plagula excuditur, quae non antea summo studio a me relecta sit et emendata. Sed dum haec scribo, nuncius Geneva affertur, qui nos certiores facit, ibidem Heineccii Historiam Juris cum quibusdam postumis Auctoris annotatiunculis recudi, quas bibliopola vel ab Heineccio juniore, vel a notissimo librarium mancipio, Uhlio acceperit. Stauerunt igitur Verbeekii, si interea libri copia fiat, notulas istas ad finem editionis Tuae rejicere. Iidem Viri Optimi dedicandi jus Tibi integrum relinquunt. De Harmenopulo Bergeriano non levis est expectatio,

tio, propterea quod Collatio videatur esse ab Alciato instituta. Emendationes ejus non magno emerim: quamvis nec ipse Graecarum literarum fuerit imperitus, ut patet ex parte Anthologiae Graecae, ab eo in latinum sermonem translata. Pervenit his diebus beneficio VV. CC. Valkenarii (*) et Lennepii ad manus meas Harmenopulus Svallebergii, quem totum manu sua emendavit, contulit, et ex MS. insigniter auxit Vir in his literis Summus, Antonius Contius. Prope diem etiam exspecto aliud exemplar a Claudio Salmasio cum Codd. Palatinis collatum, ipsique toties ad Solinum et libris de usuris laudatum. Utinam his tandem, tanquam Colophon, accederet Cujacianus, de quo nihildum certi audio. Nam Doct. Ernesti literas ad hunc usque diem exspecto. Hujus Viri Cl. Specimen Emendationum in Callimachum velim mihi quam primum alleges una cum Dissertationibus et Programmat. post discessum meum e Saxonia a Te conscriptis. Vellem, Ernestina Ciceronis Clavis (†) denuo typis exseriberetur, habita ratione egregiarum castigationum, quas in exemplaris Tui margine me multo cum fructu legisse memini. Sed tum trivialia ista, quae Batavos nostros ab hujus libri lectione absterrent, resecanda essent. Petant sibi pueri res le-

vi-
 [(*) Cf. Epistola ad Valckenaerium, a. 1748. d. 18. Febr. quam una cum reliquis, a Celeberrimo Wytenbachio collectis, editurus est Mahnius V. Cl.]

[(†) Hujus admonitionis si rationem habuisset, aliter sine dubio in repetenda Clave versatus fuisset novissimus Ciceronis editor, Chr. Godofr. Schützins.]

viculas e Nizolio et Lexicis, quibus nos prope obruit Germania. Poteris hac de re pro amicitia vestra politissimum virum monere. Suetonium ab eo ornari mirifice gaudeo. Idem saxum volvit eruditissimus Ousendorpius noster. Theophilus consultissimi Reitzii brevi prelum relinquet. Hic vir Tui adeo studiosus est, ut ultimis suis ad me literis scripserit: *Ritterum, qui vel solas ejus in Cod. Theodos. praefationes perlegerit, nec magni faciat, aut inter eruditissimos, humanissimosque ICtos, et cum antiquis comparandos non collocet; cerebro me hercle caret.* Idem Vir Cl. acerrimo judicio Tuo distingui cupiebat intricatum in Theophil. locum *de itineris, actus et viae differentia;* de quo praeter Menagium et Bynkershoekium confer ingeniosam Alberti mei emendationem in Miscellana Critic. post Glossarium Novi Foed. editis pag. 233. Sed maturato opus est, ut omnia simul cum Theophilo prodire possint. Si quid praeterea in hunc auctorem Tibi emendationum est, nobis itidem haud invidetis. De Theophilo sententiam Tuam dixisti in Historia Juris: Sed, hanc notam aut deleri jubeas, aut mutari. Nam sine controversia Theophilus est is, qui sociata cum Tribon. et Dorotheo opera Institutiones conscripsit. Miror, viros doctos Thalelæi testimonium exspectare, cum saepius ab alio scriptore Justiniano *συγγραφεύς* laudetur. Is Stephanus est, Basilicorum interpret, quem quis dubitet unum esse ex Digestorum Compilatoribus Justiniano in Const. de conf. Digest. laudatis. In Commentariis certe MSS., qui penes me sunt, in *Titt. D. de Postulando et de Defensoribus et Procuratoribus* conjungitur Stephanus

cum

eum Thalelao, Theodoro, Anatolio, Justiniani sine illo dubio aequalibus. Laudat praeterea Stephanus Theophilum nomine *μακαρίτου*, quod ego interpretor et tanquam amicitiae signum, et quod, Stephano vivo, diem obierit supremum. Pluribus haec confirmabit Reitzius noster. De Schultingii Jurisprudencia alio tempore ad Te scribam accuratius. Tu modo, mi Rittere, si me et litteras nostras amas, fac brevi ad me perveniant capitales aliquot et ingeniosae in corruptissimum Collatorem LL. M. et R. (*) emendationes: quas ego, tanquam novi Operis prodromum, separatim excudendas curabo. Haec enim, scio, ita omnibus plurium nanciscendarum salivam movebunt, ut Tibi soli edendi provinciam deferendam putent. Est apud Ruckerum, Juris Professorem, exemplar libri aliquot Schultingii postumis notis insigne. Id ille bibliopolae obtulit hac conditione, ut sibi praefandi copia detur. Agnoscis vilissimum animum. Sed illae Schultingii notae Rövero nostro, qui vidit, vix editione dignae videntur. De Synopsi *Βασιλικῶν* MS., quam in Bibliotheca Lipsiensi in not. ad Hist. Jur. extare ais, velim me uberius erudias (+). Putem fere eandem esse, quam ex Bibliotheca Uffenbachiana ede-

[(*) Cf. supra Ep. II. p. 778.]

[(+) Mönuit ad h. l. Germanus editor Hugo, Ritterum in Annot. ad Heineccii H. J. §. 404. p. 560. edit. Argentoratis, non de ea agere, quae vulgo dicitur Synopsis *Βασιλικῶν*, sed de MS. adhuc ineditae *Eclogae legum Leonis*, quod in Bibliotheca Lipsiensi extare dicit. Quidquid hujus sit, MS. illud, antiquitate sua memorabile, quippe e *Saec. XIV.* antea fuisse in Bibliotheca Uffenbachiana.]

edere parabat doctissimus Steinheilus. Sunt et in Vitembergensi Bibliotheca aliquot Codd. MSS., quorum mihi notitiam impertias velim, ut Tu, si usu venerit, Batavos nostros his munusculis demereri queas. Glossarum in Hesychio barbararum Indicem proxime mittam. Interea unam, in qua restituenda ingenium exerceas, notasse suffecerit. *Ἀναβαλα, πολλαχῆ χάρις*. Martinus Opitius, patriae Tuæ, et poetarum sui temporis decus, putabat esse Teutonicum *angenheim*, sive Belgicum *aangenaam*. Quae sane conjectura tam vana est, ut Alberti noster eam ne memorandam quidem duceret.

Ego nunc Leidæ bellissime vitam ago: in qua urbe nihil mihi ad summam voluptatem, praeter Te, deest. Cur D'Orvillium nostrum dereliquerim, causae mihi tum aliae fuerunt, tum haec justissima. Erat nempe patronus aliquis seligendus, cujus potenti suffragio ad Juris vel Graecarum literarum professionem adspirare possem. D'Orvillii autem auctoritas, postquam cum Wetstenio, Hemsterhusio, Wesselingio, aliisque principibus viris simultates exercere instituit, in Belgio concidit omnis. Equidem ingenue fateri possum, Belgas omnes, quicumque sunt paulo eruditiores, laudi meae candide favere. Igitur si quid secus narret improbi oris calumniator, Reiskius, fidem ne habeas. De hujus hominis flagitiis cum litterariis, tum aliis si exponere instituerem, epistolae modum excederem. Sed Tu legas praefationem, quam novissimae Petronii editioni praemisit Vir Ampliss. Casparus Burmannus, Petri filius, et totum nosces hominem. Nuper, ut audiivi, in Miscell. Lipsiens. oblo-

qui

qui ausus est coelestis prope ingenii Viro, Tiberio Hemsterhusio; sed is, qua est animi magnitudine, risit stupidissimum nebulonem. Salutant Te duo jurisprudentiae nostrae ornamenta, Röverus et Meermanus. Vale, Vir Praestantissime, mihiq; oculis meis carior, et, quo quondam me amore complexus es, complecti perge. Dabam Lugduni Batavor. d. 1. Februar. 1748.

An Tibi vel Breslaviae vel Vinariae amicus graece doctus est, cujus opera in MSS. conferendis uti possim? Ecquid agit Nobiliss. Küstnerus? Fastos nondum correctos ex Almelveenio emendabo. Sed desino, Tibique perennem precor felicitatem.

V.

VIRO EGREGIO,

JO. DAN. RITTERO

DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Mirifice gaudeo, Te, gravissimo morbo depulso, ad pristinam sanitatem rediisse. Addat Numen huic muneri suo perpetuitatem. Historiam Juris secundae nundinarum hebdomade Lipsiae videbis. Verbeekii fratres pro impensa opera plurimas Tibi gratias agunt, quatuorque dono mittunt exemplaria. Horum, quod dolebant, nullum ob temporis penuriam ligari potuit.

Ddd 4

In

In praefatione festinantius a Te scripta nonnulla mutavi. Sed nollem irrepsisset error typographicus, *collecturi pro collecturae*. Exemplaribus Historiae Juris Tibi destinatis, splendidissimus Meermanus noster adjecit novam Caji editionem, quam, cum nuper Parisiis versaretur, secundis curis perpolitam, membranae imprimendam curavit. Diss. Tua *de itineris, actus et viae differentia* quantopere placuerit, vix dici potest. Ubique elucet acerrimum, quod omnes in Te mirantur, judicium. Exornabit pulcherrima hac symbola Theophilum suum Celeb. Reitzius. Licebit in posterum eodem modo Tuam de intricatis quibusdam quaestionibus sententiam elicere. Certo, si quando otium fuerit, consimilem dissertationem *de Jurisdictione* conscribes. Nam, quantum e privatis sermonibus Tuis recorder, multa in hac materia nova statuebas, et a vulgi opinione abhorrentia. Sed, cave hujus generis Dissertationes homini ventoso et lucri cupido, Menkenio mancipes. Tua virtus, mi Rittere, tam alte Te evexit, ut Te pudere debeat societatis vilissimorum hominum, qui Miscellanea Lipsiensia nugis suis replent. Nam si a tribus quatuorve commentationibus discesseris, nihil in toto opere reperitur, quod doctorum virorum oculis dignum sit. Negabat heri Hemsterhusius *ὁ μέγας*, se librum istum emere, qui bona tam pauca, torque mala contineat. Si quid Schediasmatum vulgari velis, illustriori loco, id est, in Observatt. Miscellan. a D'Orvillio nostro collocabitur. Accepi a Saxio, Menkenium politissimo Ernesto Hesychii exemplar donasse. Insignis, fateor, liberalitas. Sed vide, quanta fraus fuerit hominis.

Hoc

Hoc exemplar Bibliopola, Samuel Luchtmannus, me-
 potissimum impellente, Cl. Ernesto pro recensione
 dono dedit, Menkeniumque, ut ipsi suo nomine of-
 ferret, per litteras rogavit. At is, ommissa beneficii
 Luchtmanniani mentione, ut sibi Ernestum devinci-
 ret, quasi de suo dedit. Tenes furem, Emendatio-
 nes Tuas in utramque partem Hesychii proxime ex-
 specto. Gratissimum feceris et mihi et deliciis no-
 stris, Joanni Alberti, qui ex iis, quae de Euhagis
 disseruisti (*), quantum in hoc studiorum genere
 valeas, satis intellexit. Vellem, mi Rittere, ut,
 quidquid Tibi est emendationum in Zosimum, Dio-
 nem Cassium, Ammianum Marcellinum, aliosque scri-
 ptores, brevi colligeres, et Criticarum observationum
 titulo per bibliopolas nostrates vulgares. Magnum
 inde ad nos emolumentum, neque minus ad Te decus
 redundaret. *Και ταῦτα μὲν ἢ ταῦτα.* Jam quod fe-
 lix faustumque sit, Joannis Luzac, Librarii Leidensis
 nomine, deferimus Tibi curam Jurisprudentiae Ante-
 justinianae ornandae edendaeque, nec dubitamus,
 quin eventus opinioni nostrae responsurus sit. Pla-
 cet vero Operis augusti Specimen, aut, si mavis,
 Prodromum, incunte aestate, edere, simulque homi-
 nes eruditos, ut symbolam conferant, publice invita-
 re. Plurima et prope invidenda Tibi ad manum erunt
 subsidia, ut ex adjecta schedula (†) disces; quae

Q^a

[(*) Pr. Observationes historicae (Viteb. 1742. 4.) c.
 p. 11—14. laudat ad h. l. Hugo.]

[(†) Sed hanc schedulam cheu desiderari, queritur idem V.

omnia in Speciminis praefatione a Te sunt commemoranda. Praeterea emendationes Tuas maxime ingeniosas velim seligas, iisque specimen exornes. Ingeniosas emendationes postulo propterea, quod omnis diligentiae laus apud Batavos languet; ingenii, viget. Inprimis opera danda est, ut mature Codicis Wurtzburgensis copia fiat. Latent, ni fallor, in Germaniae Bibliothecis plura hujus operis ornamenta, quae utinam Tu e situ et pulvere extrahere posses. In posterum, si me amas, fac, verbosiores literae ad me redeant. Vale, Rittere, decus nostrum, et valetudinem Tuam quam diligentissime cura. Dab. Lugduni Batavorum. d. 27. April. 1748.

VI.

VIRO PRAESTANTISSIMO

JO. DAN. RITTERO

DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Literas Tuas Ernestique una cum fasciculo recte accepi. Vix dici potest, quantopere mihi placuerint
vel

D. — Plura de eodem argumento habes Ep. VII. infra p. 795. Sed ante omnia conferendae sunt lectu dignissimae Ger. Meermanni datae ad Ritterum literae, in eodem Hugonis Diario editae, p. 376 sqq.]

vel ipsae litterae, vel opuscula adjecta. Sed de his Tecum confabulari, jam non tempus permittit. Cupiunt enim fratres Verbeekii quam citissime literas ad Te dari, ut fraudi Lipsiensis bibliopolae, qui Heineccii Historiam a Te editam recudere audeat, obviam eatur. Weidmannia haec Verbeekiis nuper referens, addidit quoque, non alia de causa libri Tui mentionem in Catalogo Nundinarum esse omissam, quam quod Bibliopola iste jam privilegium a Rege impetrasset. Tu vero, mi Rittere, quantum potes, vel Tua, vel Illustriss. Brühlîi auctoritate hominem ab improbo consilio dimovebis. Sin minus, Verbeekiorum nomine cum eo contrahes, ita ut ipse privilegium Verbeekiis cedat, atque insuper aliquot exemplaria vel gratis vel minimo pretio accipiat. Brevi literas ad Te, de reliquis negotiis dabo longiores. Vale, Vir Magne, meque, ut amas, ama.

Scribeb. festinantius Leidae d. 9. Julii 1748.

Richeji Vindicias nuper forma, ut vocant, octava nitide recudendas curavi, praemisique ἀνωρύμας praefationem, in qua honorifica Tui mentio est facta. Brevi, ut spero, opusculum una cum aliis ad Te ablegabo.

*

VII.

VIRO PRAESTANTISSIMO,

JO. DAN. RITTERO

DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Semel velim excuses hanc meam in scribendo tarditatem. In posterum profecto tantum aberit, ut me negligentiae accusare possis, ut potius singulis mensibus literae ad Te meae sint perventurae. Nunquam vixi lautiori conditione vel in Belgio vel alibi. Sed nunquam etiam mihi ita tempus periit in deliciis aulicis et salutationibus quotidianis. Sed in posterum etiam huic rei, quantum in me est, medebor, praesertim cum Leidam reversus fuero. Nam cum Illustrissimus Juvenis, Nicolaus de Dirquens, cujus studia moderor, ab aliquo tempore valetudine minus prospera usus sit, ex Academia secessimus ad ejus aviam, splendidissimam, et regis prope opibus praeditam matronam, de Raet, Harlemi habitantem. Huc etiam literas Tuas dirigas, usque dum me Leidam rediisse intelligas. Sed, ut hinc ordiar, valde placuit Historia Tua Praef. Praet. et mihi et duumviris egregiis, Hemsterhusio et Wesselingio. His enim reliqua duo exemplaria dedi. Harmenopuli Cujaciani et alterius, a Küstnero suppeditati, videndi incredibili flagro desiderio. Sed, si fieri potest, suavissime Rittere, ipsum Baudesii exemplar mihi per Weidmanniam ad

Ver-

Verbeekios transferendum cura. Vereor enim magnopere, ne, si alii describendum detur, errores irrepant, non nisi autographi collatione tollendi. Abduxerunt me per aliquot menses aliae curae ab Harmenopulo poliendo, neque valde invitum. Tanto enim atacrius, si rursus accessero, in eo pergam. Invitor namque, aut cogor potius a doctissimis amicis, Valkenario, Alberto, ipsoque summo magistro meo, Hemsterhusio, quae conjectura in graecis poetis restitui, colligere, ac publice (*) facere juris. Itaque brevi a nobis expectes Criticas Animadversiones in Apollonium Rhodium, Orpheum, Callimachum, Anthologiam, Theocritum, ipsumque Homerum. Callimachearum Emendationum Specimen his diebus misi ad politissimam Ernesti. Sed Tu, mi Rittere, qui primus, quae Indigitamenta sint, me docuisti, succurre discipulo Tuo haerenti in Orphei, vel Onomacriti Indigitamenti p. 106. ed. Eschenbachii. Corrupta verba sunt ἐξ λοκούρη. Mira Josephi Scaligeri ad h. l. est observatio, et, nisi a tanto viro profecta esset, omnino ridenda.

Non deposuit Joannes Luzac Jurispr. Antej. edendae consilium; sed contra avide expectat Prodromum Tuum. Tu, optime Rittere, quicquid undique Variantium Lectionum conquirere potes, quovis pretio conquire. Nam omnes, quos fecisti, sumtus perlibenter restituentur. De honorario alias videbimus. Id scias luculentum futurum, si libros Tibi dari postules. Biennii Tibi tempus dat Luzacius ad opus

[(*) Ab Ruhnkenio scriptum opinor, publici.]

aeternum exornandum, cum quod eo Tibi omnino opus sit, tum quod ipse nunc versetur in quibusdam Schultensii Arabicis excudendis. Postumas Schultingii notas, nisi paucae essent, et plerumque citationibus constarent, jam misissem. Verbeekiis auctor fui, ut privilegium petere supersederent. Namque alia ratione fur iste poenas dabit. Simulatque enim ejus editio prodierit, Tu Verbeekianae novam praefationem praemittes, et Juris Germanici Historiam annotationibus augebis. Hoc Verbeekiis parvo, at Kleibis magno detrimento erit.

Cetera e Batavia nova haec sunt. Meermahus noster ad amplissimam dignitatem evectus est, nempe Pensionarii Roterodamensis. Alberti strenue pergit in edenda altera parte Hesychii. Is miratur Tuam Gothicæ linguae peritiam. Sed maluisset Hesychii Gothica a Te explicari sine mutatione vocis. Weselingius nuper edidit Epistolam Criticam ad V. Cl. Hermannum Venema, de locis quibusdam controversis Philonis Judæi. D'Orvillius Charitonem prope diem emittet. Adrianus Heringa, sagacissimus homo, parat novam editionem Geographorum minorum Hudsoni. Oudendorpius ad prelum adornat Apulejum, editurus antea Suetonium cum suis et Dukeri notis. Abrahamus Gronovius in Nicandro edendo versatur. Matthias Röverus, magnum Belgii decus, praeclara molitur in Jurisprudencia nostra. Reitzii Theophilus post duos circiter menses prodibit. Ernesti Suetonium perlegi avidissime. Admiror viri sagacitatem, qua, me iudice, ipsi Gesnero praestat. Utinam hujus similes multos haberet Germania! Batavii

chii nihildum huc perlatum est. Reimarus, amicus
 noster integerrimus, praeclaram parat Dionis Cassii
 editionem. Huic si quas suppetias ferre possis, fa-
 cias rogo. Est enim Tui studiosissimus. Obsecro
 Te, Vir magne, congeras per otium Tuas in grae-
 cos, latinósque auctores Emendationes, quo Belgicis
 typis exscribi possint. Multum intererit ad laudem
 Tuam apud homines nostros. Omnino mihi proxime
 indices rogo, quinam Codd. MSS. sint in Bibliothe-
 ca Vitembergensi. Audio, Waltherum apud vos Pro-
 fessionem obtinuisse. Gratulor Tibi de tam docto
 Collega. Ejus Animadversiones summopere laudabat
 Hemsterhusius. Saxius optime valet; et patroni sui
 opera facile ad lucrosam munus adspirare potest. Sed
 negat, se recensuisse Anthologiam Latinam. Recte.
 Nam ipse Burmannus noster mihi ante triduum Am-
 stelodami affirmavit, auctorem recensioneis esse impro-
 bi oris calumniatorem, Reiskium, idque sibi non fal-
 lacibus indiciis constare. Non debebat Menkenius
 tantum huic cani permittere. Mira acciderunt, quae
 de Menkenii humanitate narras. Bibliopolis certe
 nostris, Waesbergio, Luchtmanno, aliis, valde im-
 portunus audit. Sed ut ipsi humanitatis laudem non
 ademerim, ita exquisitae doctrinae vix concesserim.
 Nam merito is, quem unum omnium mortalium maxi-
 me veneror, Tiber. Hemsterhusius ejus Observatio-
 nes lat. linguae puerilem et ridiculum librum dicere
 solet. Si duplex Tibi exemplar est Kustnerianae Dis-
 sertat. de rit. pign. capiend. fac, alterum ad me
 perferatur. Theophilum, ut promisi, Tibi dono mit-
 tam. Ingentis magnitudinis opus erit. Namque ad-
 dun-

duntur Notae plurimorum hominum doctorum, et longiores Celeb. Reitzii Excursus. Fac, brevi ad me perveniant literae Tuae. Nam nisi culpa Tua aliter accidat, fervebit in posterum literarum inter nos commercium etiam magis, quam antea. Singularis est suavitas, quam ex literis Tuis haurio. Sed partim suavitatem quodammodo minuit nimia brevitatis. Hoc igitur, si me amas, cavebis. Cl. Ernesti certas ob causas brevi ad me literas dabit. His si Tuas adjunxeris, gratum feceris. Vale, Viri amicissime, meque, ut facis, ama. Dab. Harlemi d. 20. Octobr. 1748.

VIII.

VIRO MAGNO,

JO. DAN. RITTERO,

DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Jam diu literas Tuas exspecto, mi Rittere. Putabam, frequentius inter nos literarum commercium futurum. Certe in me nunquam diligentiam desiderabis. Cl. Reitzii literae Tibi destinatae jam per duos menses apud me jacuere, non alia de causa, quam quod quotidie literas Tuas exspectabam, quibus deinde responderem, et Reitzianas adjungerem. Nunc tamen visum est, non diutius retinere. Harmenopuli Cujas

clani desiderium vix fero (*); etsi mihi hoc tempore magis res est cum Homero, Callimacho, Apollonio Rhodio, et Epigrammaticis Graecis, quam cum Ictis Constantinopolitanis. Elegantissimi Ernesti literae jam ante mensem mihi sunt redditae. Is magnopere probat meas in Callimachum conjecturas. Profecto, nisi mihi Hemsterhusius, Valkenarius alique summi homines verba dent, videor in hoc literarum genere aliquid praestare, quod prope Bentlejanum sit. Certe negant quemquam aetate nostra plures versus spurios in antiquissimis poetis sagacius detexisse et feliciter profligasse. Sic enim apud Te gloriari licet, optime Rittere, cum ex laudibus nostris non minima pars etiam in Te redundet, ut praeceptorem:

Sed quid statulisti de Jurisprudencia Antejustiniana? Obsecro Te, carissime Rittere, omne studium Tuum ad Prodigium conscribendum convertas. De MSS. Vitembergensibus iterum Tibi aurem vello. Fabricius in Bibliotheca Graeca duos memorat Lycophronis Codices Vitembergenses. Sed horum desiderio tanto minus teneor, quanto diligentius in hoc poeta castigando versatus est Illustrissimus Potterus. Nuper etiam suavissimus Meermanus noster mihi Lycophronis Codicem utendum dedit, quem secum e Gallia attulerat.

Huné

[(*) Constat, ut ad h. l. annotavit Hugo, posteriorem Harmenopuli editorem, Guil. Ottonem Reitzium, apographum animadversionum Cujacianarum, a Rittero ex Exemplari Bibliothecae Lipsiensis descriptum, per G. Meermanum nactum esse: qua de re videatur Praefatio ad Harmenopulum in Supplem. Thes. Meerman. §. IX. p. V.]

Hunc communem amicum nuper Praepotentes Hollan-
diae Ordines dignitate Pensionarii et Syndici Rotero-
damensis ornavunt; quo jam habitatum concessit. Idem
brevis publici juris faciet *ideav* Thesauri Juris civilis et
Canonici, sua opera edendi. Opus VI vel VII volu-
minibus in folio constabit. Multi in eo apparebunt
ICTi Hispani, longe eruditissimi et acutissimi, de
quibus ne fando quidem audivimus; multi Galli, e
Cujaciana schola profecti, sed itidem ignoti; inter
Hispanos doctissimus Del Manzano Commentarius ad
Legem Juliam et Papiam Poppaeam, non visus Hei-
neccio. Horum operum partem ipse collegit Amplis-
simus Meermanus; sed multo plura ex Hispania sin-
gulis mensibus submittit humanissimus Majansius. No-
vi quid scribam, vix habeo, et, si quid habeo, aliis
litteris reservabo. Nam domestica quaedam negotia
nunc plura scribere vetant.

Suetonius eximii Viri, Oudendorpii, brevi prelum
relinquet. Hunc Tibi dono mittam, ut eum cum Er-
nestiano conferre possis, et judicare, utri editorum
palma deferenda sit. Vale, decus nostrum et amor.
Dab. Harlemi d. 16. Decembr. 1748.

DAVIDIS RUHNKENII

EPISTOLAE

AD VIRUM CLARISSIMUM

JAC. PHIL. D'ORVILLIUM.

EX OPUSCUL. RUHNKEN: EDIT. ANGLICÂ.

I.

VIRO AMPLISSIMO,

J. P. D'ORVILLIO

DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Diutius quam par est scribendi vel potius gratias agendi officio defui: quamquam tantum abest, ut singularia, quibus me ornatum dimisisti, beneficia memoria exciderint, ut potius quotidie occasionem captaverim, qua gratum animum Tibique perpetuo devotum quodammodo testari possem. Circumspicienti igitur commode se obviam tulit Barnabas Brissonius, cujus emendandi quondam initium, nunc finis curae qualicunque meae erat commissus. Tu vero, summe Vir, hoc munusculum serena, ut soles, fronte accipias, neque tam quid beneficiorum tuorum magnitudini conveniat, quam, quid a nobis proficisci possit, expendas. Erit fortasse brevi alius locus, quo,

quanta mea erga Te etiam nunc sit pietas, quanta virtutum tuarum admiratio, publice profiteri licebit. Clar. Alberti studium, quod Hesychio edendo navat, aliis negotiis adeo intercipitur, ut omni illo tempore, quo Leidae vixi, ne plagula quidem sit excusa. Interea, dum aliud nihil est, quod agam, omne tempus consumo in vetustis Bibliothecae publicae membranis excutiendis. Sed hoc ex labore cum, quantum animus utilitatis, tantum res familiaris detrimenti capiat: Te, illustris Maecenas, — rogo, ut si dignus videar, alium mihi imperes vel conferendi, vel describendi laborem. Quod quidem beneficium cum apud hominem negotii demandati satagentem, tum apud summe gratum Te collocasse experieris. Bene vale, Vir amplissime, atque sic existima, qui divinos Tuos in literis progressus intelligant multo me melius, habere te plurimos: qui laudi Tuae faveat studiosius, et munificentiam animo prosequatur gratiori, neminem.

Dab. Leidae, d. 21. Aug. 1747.

Scriptis ad viros eruditos literis, diligenter cavi, ne quam amplius tibi molestiam exhiberent, epistolis Amstelodamum dirigendis: id quod jam antea nonnullis significaveram. Iis, qui longe aberant, commode non poteram. Tu, qua es animi magnitudine, hoc mihi vitio haud vertes. Salvebis a VV. CC. Oudendorpio, Alberto, Hemsterhusio, Rövero.

II.

ILLUSTRI VIRO

J. P. D'ORVILLIO

DAVID RUHNKENIUS s. p. d.

Nae tu *χαλκσα* compensas *χουτέοις*. Quod dum praestas animo vere magno, vere paterno, antiquum illud tuum obtines. Verum ita Musas mihi propitias esse velim, ut Te nunquam liberalitatis erga me Tuae poeniteret. Utinam modo Deus hoc tibi otium faceret, ut, quae ad varios auctores divinitus a Te sunt observata, hominibus literarum studiosis impertire posses. Nam etsi ego non is sum, qui magnorum, qui nunc sunt, virorum laudibus detrahere aut possim aut velim: tamen hoc mihi vere videor posse affirmare, ne unum quidem esse eorum, qui purissimo illo et incorrupto Venerum antiquarum gustu Tecum certare possit. Summum numen Te, optime Musarum pater, una cum filiolo Tuo nobis quam diutissime servet. Dab. Leidae, d. 25. Aug. 1747.

Vir amiciss. P. Wesselingius nuper dubitabat an liber, quem superiori anno jussu tuo emerat, recte ad Te sit perlatus. Sed forte res non est tanti, ut eum de hac sola certiore faciendum putes.

III.

VIRO AMPLISSIMO

J. P. D'ORVILLIO

DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Cum his diebus Bibliothecam Crucianam, mox dividendam, excuterem, ea mihi detexisse visus sum, de quibus pro eo, quod tibi debeo, officio certior a me faciendus esses. Scias igitur, in hac Bibliotheca, etsi Catalogus nihil prodit, tamen extare Virgilium, duo Horatii exemplaria, Plautum, Terentium, Censorinum, Boethium, Lucianum vel collatos cum MSS. vel notatos ab Heinsio, Jo. Frid. Gronovio, Guilielmo Goesio, aliisque. Hic etiam apparet Harpocraton Aldinus tritus manibus Clarorum hominum, Xylandri, Sylburgii, Fabri, Heinsii, et Rutgersii: e quo nonnulla dedit Jacobus Gronovius dedissetque plura, nisi hoc ipsum exemplar ei furto esset surreptum.

Corpore Historiae Byzantinae Parisiensi nihil unquam vidi magnificentius. Videtur donum Regium fuisse. Insignia certe Regis Galliarum ligatura praefert. Inter caeteros rariores libros eminent Suidas Aldinus, Claudianus anni 1482, Musaeus, Orpheus, et Callimachus apud Aldum, Demetrius Phaler. apud Morellium: quorum omnium singularis est nitor.

Tu, Vir illustris, pro Tuo in me jure, mihi emendi negotium impera; quod, quin summa et vigilantia

et

et fide executurus sim, non est Tibi dubitandum. Nam etiamsi Amplissimis hominibus, qui me Leidæ evocant, obsequar (qua de re adhuc delibero): tamen usque ad finem mensis Octobr. hic commorabor. Vale, Vir Magne, mihiq̄, si merear, fave. Dab. Leidæ, d. 23. Sept. 1747.

IV.

ILLUSTRI VIRO

J. P. D'ORVILLIO

DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Pauciores libros a Cruciana supellectile Tibi vindicare licuit, quam initio sperabam. Nam plerosque Vett. Auctores cum MSS. collatos immani pretio sibi redemit Petrus Burmannus. Quatuor tamen tibi obtigerunt pretio satis aequo. Corpus Historiæ Byzantiæ istis Heroibus non concedendum putavi. Regium hoc exemplum Regiæ bibliothecæ Tuæ inserendum erat. Cumque meæ etiã moderationi nonnihil commiseris, dedi id, quod si adfuisses, profecto ipse dedisses, nempe 390 fl. Non credebant Viri optimi, qui mihi ementi applaudebant, Oudendorpius et Röyerus, huic exemplari simile aliud in toto terrarum orbe extare. Nam sola ligatura ad minimum centum

et quadraginta florensis constitit. Equidem diligenter curabo, ut omnia sarta tecta ad Te perferantur.

Quod ad me attinet, constitui ulterius Leidae commorari. Malo enim parce ac tenuiter vivere, quam hominibus opulentis illis quidem sed ἀποδοσις operam meam addicere. Quaerant isti sibi politulos Gallulos, quos filiorum studiis moribusque praeficiant: Utinam modo Tibi, Summe Virorum, tantum otii esset, ut mihi pensum, quod conficerem, imperare posses. Tum sane pulchrum me ac beatum putarem. Vale, Decus nostrum, nobisque fave.

Dab. Leidae, d. 16. Oct. 1747.

Corpus Hist. Byzant.	398 fl.
Horat. Cruquii cum Em. MSS.	3
Terent. fol. cum MS. collatus	7
Horat. Elz. notatus man. Heinsii	2, 4
Boethius cujus princ. cum MS. collat.	14
Serenus Sammon.	13
Dissert. de Aqua salsa	4
Incertus Poeta cum notis Opatii }	16
Cabeljavii Epistolae	
Caosii Orpheus	11
Corippus Ruizii	12
Pinvieri Aenigmata	11
	<hr/>
	414
	5

VIRO AMPLISSIMO

J. P. D'ORVILLIO

DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Non dubito, quin recte ad te perlatum sit eximium illud Historiae Byzantinae exemplar. Nunc mandato tuo obsecutus rariorum librorum pretium emtoresque breviter notabo.

Suidas ap. Aldum	16 fl.	} Müllc, Consul Enchusanus.
Claudianus 1482	15	
Landinus in Virgil. 1492	4	} Idem Idem
Censorin. cum MS. collat.	8	
Virgilius cum var. lectt.	10, 15	} Van Paenen, mandatarius Burmanni.
Harpocraton cum not. MSS.	12	
Plautus cum MS. collatus	18	} Idem Idem
Lucianus cum Notis MSS.	—	
Asconius Pedianus Ald.	2	} Idem Idem
Ulpiani Fragm. cum MS. collatum	5, 5	
		Röverus.

Musaeum, Callimachum, Orpheum apud Aldum, et Demetr. Phaler. pretio iniquiori sibi paravit Clar. Oudendorpius. Nisi Seldenum aliunde acceperis, exemplar in ipsa Gallia splendide ligatum 30 fl. Tibi vindicare possum: Vale, Vir summe, meque Tuorum numero habe. Dab. Leidae, d. 20. Octobr. 1747.

VIRO AMPLISSIMO

J. P. D'ORVILLIO

DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Et si ego singularem Tuam propeque regiam erga me munificentiam pietissimo animo colo: tamen, quotiescunque novis a te beneficiis ornor, quaedam me indignatio subit, quod nullam mihi viam relictam esse videam, qua, quanta mea erga Te sit pietas, quantumque Tibi inserviendi studium, re ipsa declarare possim. Nullus sane labor tam molestus fingi potest, quem non, Tuo jussu, prompto ac lubenti animo subirem. Nisi Tu, vir Magne, hoc ipso tempore tot aliis negotiis distinereris, auderem limatissimo judicio Tuo subicere Specimen Emendationum in Callimachum, poëtam foedioribus, quam plerique putant, mendis obsessum, et a magistrallis mirifice interpolatum. Capiam tamen, ni abrueris, tum Te arbitrum, cum majus Tibi otium obtigisse intellexero. Interea vale, Summe Vir, nobisque bene velle pergas.

Dab. Leidæ d. 29. Octobr. 1747.

VII.

VIRO AMPLISSIMO

J. P. D'ORVILLIO

DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Si ullus clientum Tuorum, hac anniversaria temporis commutatione, perpetuam Tibi salutem pie atque ardentem precatur, is certe ego sum, quo nemini incolumitas tua magis curae cordique esse debet. Nam sive spectatam Tuam inter omnes doctrinam intuear, quid magis optandum est, quam ut prospera valetudine utens, primum immortalia, quae paras, opera vulges, et postea gloriae tuae quam diutissime supersis? Sive merita erga me Tua ad animum revocem, quid aequius est, ac pius magis, quam ut ego perennem Tibi felicitatem apprecer, qui integrum jam annum, et quod excedit, insigni illa liberalitate Tua sustentatus vixi? Summus igitur rerum arbiter Te, seculi nostri Peirescium, diu sospitem florentemque servet, Teque cum Jano Tuo tot annos, quot Pater Tuus, venerandus senex, Tecum jam exegit, superare sinat. Dab. Leidae d. 2. Jan. 1748.

Narrabas aliquando, Vir Amplissime, gaza Tua contineri Novellas quasdam Graecas Reverendi Montfauconii manu e Vet. Cod. descriptas. Harum si mihi per aliquot dies copiam feceris, ingentem ceteris Tuis, magnisque erga me beneficiis cumulum ad-

des.

des. Equidem, cum ab aliquo tempore non ignavam
 Jctis Graecis operam impenderim, hujus laboris Spe-
 cimen hoc anno edam, simulque mirifice gaudebo, si
 vel opibus tuis, vel consiliis instructor prodiero.
 Vale Vir Summe. Salvebis ab amicis candidisque vi-
 ris Alberto et Lennepio,

VIII.

VIRO AMPLISSIMO

J. P. D'ORVILLIO

DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Hermannus Samuel Reimarus vir humanissimus mi-
 sit ad me Specimen novae editionis Dionis Cassii, id-
 que oculis Tuis subjici jussit. Equidem omnem la-
 pidem movi opus, ut Belgicis typis exscriberetur —;
 id quod te etiam optasse memini. Sed imminens
 Belgio periculum, et attritae Neaulmii facultates spem
 omnem disjecerunt. Tu, Vir Summe, si quid e di-
 tissima Bibliotheca Tua, quo Dio ornari possit, sup-
 peditaveris, ingenti beneficio Cl. Reimarum macta-
 bis. Ad me quod attinet, nunquam Leidae duriori
 conditione vixi, quam hoc ipso tempore. Nam et
 prela typographica cessant, et praeter Endium, disci-
 pu-

EPISTOLA VIII. AD D'ORVILLIUM. 811

pulorum habeo neminem. Tu, o D'Orvilli, qui toties res meas labantes sustinuisti, impera mihi vel molestissimum laborem, qui quidem tandiu necessarium victum praebet, donec melior spes affulserit. Poteris hoc beneficium Tuum apud digniorem collocare: apud gratiorem non poteris. Vale, Vir summe, nobisque, si mereamur, fave.

Dab. Leidae d. 10. Aprilis 1748.

Accepi literas a Miedenio Constantinopoli scriptas, quae nos certiores faciunt, viros eruditissimos, Askew et Freeman adhuc in eadem urbe versari. Askew ingentem Graecarum Inscriptionum farraginem secum in patriam absportabit: quamvis ipsi illarum describendarum studium magno constiterit. Nam cum Smyrnae marmora quaedam muro inclusa accuratius lustraret, describeretque, a Turcis, eum speculatorem esse ratis, in vincula raptus est, et aliquamdiu detentus.

IX.

VIRO AMPLISSIMO

J. P. D'ORVILLIO

DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Mitto ad Te Heineccianam Juris historiam luculentam Cl. Ritteri Commentario illustratam. Neque misissim

sem

sem nisi dignus esset liber oculis tuis. Nam vere nuper judicabat Wesselingius noster, nihil jam a longo tempore in hoc studiorum genere prodiisse, quod eadem sagacitate conscriptum sit, aut plura nova reconditaque contineat. Idem JCtus supra Germanorum captum eruditus totus in eo est, ut Schultingii Jurisprudentiam Ante-Justinianeam cum octo amplius MSS. collatam, et felicissime emendatam publica luce donet. Tu, Vir magne, levidense hoc munusculum serena, ut soles, fronte accipe, meque porro Clientum Tuorum numero habe. Bene vale.

Dab. Leidæ d. 25. April 1748.



VIRO AMPLISSIMO

D. P. D'ORVILLIO

DAVID RUNKENIUS a. p. d.

M
to CH Rheni Commentario illustratam. Neque trita
sem DA.

DAVIDIS RUHNKENII

EPISTOLAE

AD VIRUM CLARISSIMUM

IO. AUG. ERNESTI (*).

EX EPP. RUHNKEN. VALCKEN. ET AL. AD

I. A. ERNESTI, A TITTMANNO EDITIS.

I.

EXCELLENTIS INGENII ET DOCTRINAE VIRO

IO. AUG. ERNESTI

DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

An-te-quam de aliis rebus ad Te scribo accuratius, maximas Tibi gratias ago pro pulcherrimis, quibus me donasti, munusculis. Prolusionem de Diff. N. T. in-

[(*) De argumento harum Epistolarum, quod versatur in nova Callimachi editione ab Ernesto paranda, adjuvantibus Hemsterhusio et Ruhnkenio, non est quod plura dicamus post ea quae in Censura libri Tittmanniani Philom. Lib. III. p. III—146. copiosissime simul et accuratissime disputata sunt, ad vindicandas a Tittmanni calumniis narrationes Cl. Wyttenbachii in Vita Ruhnken. p. 79—85. et p. 155 89.]

interpret. communicavi cum VV. CC. Hemsterhusio et Alberto, quorum utrique mirifice placuit. Suetonius Tuus ita probatur omnium iudicio, ut negent aliquid a multis annis in Latinum auctorem scriptum esse, quod tam limatum, tamque omnibus numeris absolutum sit. Inprimis Oudendorpius noster, qui nuper Suetonium cum suis et Dukeri animadversionibus prelo subiecit, studium, quod in eodem auctore posuisti, laudat. Is multa quoque male affecta feliciter sanavit, interdum, ut fit, eadem, quae Tu. Sic praeclaram emendationem, qua vocem *Munera* restituis, jam ante biennium mecum communicat. De Callimacho sic habeto. Lennepius, Juvenis valde doctus et ingeniosus, is, qui nuper Coluthum edidit, instituerat novam Callimachi editionem adornare. Hac mente contulit Codicem Vossianum, non optimum illum quidem, sed tamen viginti ad minimum locis Callimacho profuturum; neque neglexit ineditas doctissimorum hominum notas, quae Bibliotheca Leidensi continentur. Sed intellecta voluntate Tua, visoque Specimine, ad alium Auctorem edendum animum adiecit. Tanta tamen est Lennepii humanitas, ut et Codicis Collationem, et quicquid in hunc poetam congressit, usibus Tuis sit concessurus. Cl. D'Orvillium de Callimachi Codd. omnino, velim, compelles. Ipse, ut Tibi ingenuè fatear, hoc mihi negotii dedit, ut Te de istis Codd. certiore facerem, addens, se, dummodo voluntatem Tuam intellexisset, nihil denegaturum. Facile enim intelligit V. Cl. nisi Tu his variis Lectionibus utaris, eas fortasse nunquam nec sibi nec Callimacho ornamento futuras.

Liceat nunc mihi, Vir Praestantissime, conjecturarum mearum in Callimachum ad Te specimen mittere. Nam ex quo divinus vir Ti. Hemsterhusius hujus poëtae amorem mihi injecit, vix dies praeterlapsus est, quo non aliquid vel correxerim, vel notarim. Quid quaeris? Brevi libellus Callimachearum Lectionum enatus est: quem quidem publici juris facere, et, nisi Tibi displicuerit, illustri nomini Tuo sub *Epistolae Criticae* titulo inscribere, fert animus. Atque ut rerum varietas lectores alliciat, simul ex adversariis meis depromam aliquot capitales Emendationes in Apollonium Rhodium, Orpheum, Homericos Hymnos, Theocritum, Nicandrum, Anthologiam, cet. Videor mihi aliquid praestitisse, quod pauci Criticorum praestiterunt vel aetate nostra, vel etiam superiori. Nam Aristarchi, et Bentleyi maxime exemplo excitatus, in optimis, antiquissimisque poëtis ingentem numerum spuriorum versuum detexi, de quorum *νοθεύσεις* nemini unquam est suspicio orta. Sed ad rem ipsam accedamus. Ac specimen quidem Tuum lectionum Callimachearum iis ingenii et doctrinae notis insigne est, ut merito summa quaeque de editione Tua expectemus. Vers. 87. H. in Jov. docte et eleganter, ut soles omnia, defendis lectionem vulgatam. D'Orvillius nuper ad Coluthi v. 330. adhuc probavit *νόση*. Mihi tamen is, qui *ἡμὶ νόση* conjectit, minimo molimine rem confecisse videtur. Vix enim credo, poëtam, quo nemo magis metri concinnitati studuit, aliquid tam inconditi admisisse. Vers. 179 seqq. H. in Del. recte a Te restituuntur. Sed gravissimum mendum effugit perspicaciam Tuam. Nempe cum

Viro longe eruditissimo, L. C. Valkenario in literis ad me datis legendum:

— Ἰδῆσι δὲ πλοῖα καρπῶν

Γηπόνος αἰθόμενον, καὶ οὐκ ἔτι μόνον ἀκούῃ.

Vers. 62. H. in Lavac. Pall. acutissime duorum distichorum ordinem permutas. At dum eodem hymn. vers. 41. repetitionem statuis, secus sentio. Namque haud dubie verba Κρεῖτον ὄρος monstrum sunt, sub quibus qualis lectio lateat, dies fortasse sequens patefaciet. De meis qualibuscunque emendationibus has habeto:

H. in Iov. v. 38.

— τὸ μὲν πῶτι πουλὸν κατ' αὐτὸ

Καυκάνων πτολίεθρον ceter.

Legendum:

— τὸ μὲν πῶτι πουλὸν κατ' αἰπὸν

Καυκάνων πτολίεθρον —

Αἰπὸν πτολίεθρον sexcenties est apud Homerum, Coinsum Smyrnaeum, alios (*).

H. in Apollin. v. 44.

Φοίβῳ γὰρ καὶ τόξον ἐπιτρέπεται καὶ αἰδῆ.

Abeat hic versus, unde male pedem intulit. Facile patet, eum e Scholio marginali esse conflatum. Sed quid censes, mi Ernesti, de v. 43. emendatione Scalligerana ad Propertium p. 273. Mirarisne superiorum editorum negligentiam et stuporem? Dudum in contextum recipiendum fuisset: Κεῖνος (alterum memoriae vitium erat) οἷστευτὸν ἔλαχεν βέα, κείνος αἰδῆν. Alibi apud Callimach. legisti, διωκτὺς, γελα-

στὺς

[(*) Cf. Ep. Crit. II. p. 127.]

στῆς, ἀσπακτῆς, μαστῆς. Iliad. Ψ. v. 627* est ἀκόν-
τιστις (*).

Eodem hymn. v. 51.

— οὐδέ κεν αἴγες

Δεύονται βρεφῶν ἐπιμηλάδες, cet.

Mire Scholiast. ad h. l. balbutit. Repone:

— οὐδέ κεν αἴγες

Δεύονται βρεφῶν ἐπὶ μηκάδες —

Librarii ad Timesin non attendentes, ἐπὶ, quod cuncta
δεύονται conjungendum erat, cum μηκάδες conjunxere.

Hinc nata corruptela, cui similem notavit Kusterus
ad Suid. v. Ἐπιμείλιον. Αἴγες μηκάδες notissimae ex
Odys. I. v. 124. 244. et aliunde. Obiter emende-
mus Hesychium, nisi eum jam emendaverint alii. Nam
sola utor Hagenoënsi. Μηκάδες, inquit, αἱ μὴ κοι-
μώμεναι αἴγες. Lege — αἱ μηκώμεναι αἴγες (†).

H. in Dian. v. 8.

Δὸς δ' ἰοῦς καὶ τόξα. ἔα πάτερ* οὐ σε Φαρέτρη,
οὐδ' αἰτέω μέγα τόξον.

Istud ἔα πάτερ plane frigidum est, et Callimachō in-
figuum. Conjeci:

Δὸς δ' ἰοῦς καὶ τόξα. εὐπτερον οὐ σε Φαρέτρη
οὐδ' —

Bion Idyll. I. v. 82.

— ὃς εὐπτερον ἄγε Φαρέτρη.

Error natus est e scribendi compendio εὐπτερ'. Hanc
conjecturam summopere probare solet Hemsterhusius

[(*) Cf. ibid. p. 132.]

[†] Pluribus disputavit Ruhnken. Ep. Cr. II. p. 132 sqq.]

noster (*). Sequenti versu ista, οὐδ' αἰτέω μέγα τῶ-
ξον, in nova, quam adornabis, versione reddas: Ne-
que peto *magnopere* arcum. Nam Diana semetipsa
corrigit. Si vulgares interpretes sequamur, sibimet-
ipsa contradicit. Pessime.

Eod. H. v. 65. οὐδέ ποτ' ἀφρικτὶ μακάρων ἑρόωσι θυγατρεις.

Quis non videt, poetam a Deorum ad hominum filias
transire? Ergo corrigamus: οὐδέ ποτ' ἀφρικτὶ μακάρων ἑρόωσι θυγατρεις.

Οὐδέ ποτ' ἀφρικτὶ μακάρων ἑρόωσι θυγατρεις.
Mirum, vitium adeo manifestum Callimacho tamdiu
inhaerere potuisse (†).

Eod. H. v. 118. Φάεος δ' ἐνέγκας αὐτῆν

Ἄσβεστον, τὸ ῥα πατρὸς ἀποστράπτουσι κεραυνοί.
Scio, aliquid contra dici posse. Sed malim tamen:

— Φάεος δ' ἐνέγκας αὐτῆν

Ἄσβεστον, τὸ ῥα πατρὸς ἀπαστράπτουσι κεραυνοί.
Orpheus Hymno Διὸς Κεραυνίου p. 116.

Στράπτων ἀθέρϊου στεροπῆς πανυπέργατου αἴγλην.
Idem Hymno Διὸς Ἀστραπέως p. 117.

Ἀστράπτοντα σέλας νέφεων —
Persimile illud est Hymno Εὐμενίδων p. 166.

[(*) Mirum videri possit, hujus elegantissimae conjectu-
rae, quam etiam cum Valckenario suo communicavit Ruhnke-
nius in litteris d. 18 Febr. a. 1748, nullam plane mentionem
ad h. l. fecisse Cl. Ernestum. Sed ipse postea eam suppres-
sisse videtur. Cf. Ep. Cr. II. p. 140. ed. alt.]

[(†) De hac quoque et proxime sequenti conjectura pla-
ne silet Ernesti.]

— ἀπαστοόπτουσαι ἐπ' ὄσων
 Δεινὴν, ἀνταυγῆ, Φάκος σαρκοφθόρον αἴγλην.
 H. in Del. v. 124.

— — ἀλλά μοι Ἦρη
 Δαφιλῆς ἠπέλιχεν —
 Non ferēs hoc loco, Elegantissime Ernesti, quæ es,
 Græcæ linguæ peritiā, vocem Δαφιλῆς. Diu est,
 quod conjeci, neque nunc poenitet:

— — ἀλλά μοι Ἦρη
 Δασπλῆς ἠπέλιχεν —
 Optime vocem explicat Hesych. in Δασπλήτις. Sed
 idem alibi: Δάπτης, δεινός. Non admitto hic Cano-
 nem Albertinum. Legendum: Δασπλῆς, δεινός (*).

H. in Lav. Pall. v. 73. 74. Ἀμφότεραι etc. Jam
 aliunde mihi suspicio nata est, duas fuisse Hymnorum,
 Callimachi editiones. Hic certe locus hanc conjectu-
 ram extra dubium pōnit. Nam versus, quos modo
 laudavi, videntur ex prima editione primum margini
 adscripti, deinde in Textum migrasse. Sic Apollonii
 Rhodii duæ fuerunt ἐκδόσεις. Atque idem, quod h.
 I. in Callimacho, in Apollonio etiam accidisse, docet
 Scholiastes antiquus ad Libr. III. 738 (†).

H. in Cerer. v. 71.
 Καὶ γὰρ τῷ Δάματρι συνωργισθὴ Διδύμοσ.
 Facessat hinc putidissimus versus. Plures alios, qui-
 bus magistelli Græci Callimachi hymnos foedarunt,
 nobis, si vellet, indicare posset Hemsterkusius (§).

Ha-
 [(*) Plura vid. Ep. Cr. II. p. 155.]
 [(†) Uberius disputat V. Cl. ibid. p. 165.]
 [(§) Cf. ibid. p. 171.]

Habes, Vir Magne, quasdam Emendationum mearum in Callimachum; quas ego diligentius confirmabo, multoque pluribus augebo in Epistola Critica, publice ad Te scribenda. Tu vero brevi me certiorrem facies, quo tempore Callimachum Tuum operis traditurus sis. Ipse enim intelligis, Epistolam nostram Tuam Callimachi editionem praecedere debere, Illustrem Spanhemium vix verbo tangam (ita enim jubet *ὁ θαυμαστός*) quamvis non deesset carpendi materia. Nam profecto vix vulgaris linguae Graecae peritus fuit, nedum poeticae. Aeque Jove puper de eo judicavit Cl. Valkenarius in exquisitae doctrinae plena Epistola, Fulvii Ursini Virgilio cum G. S. collato praemissa. Quid v. c. magis *ἀπροσδιουσου* iis est, quae H. in Cer. v. 56. notavit ex Jure Attico ad vocem *ἐγράφατο*. Vel pueri norunt, Nemesin mala dicta factaque hominum in diphthera Jovis notasse; nec cogitandum de ista verbi notione apud poetas inaudita. Similiter v. 29. ejusd. H. primum ingressus est optimam viam, mox derelinquens, vulgatam tuetur. Quo nihil ineptius vidi. Ipse Vossianus Codex habet *ἐπεμαλετο*, nec quisquam obloqui debet. Apollodor. L. I. p. 14. ed. Galei de Cerere: *ζητούσα* (*Φερσεφόνη*) *περιήσι*. Sed res clara est.

Vidi ex Praef. Clav. Cicer. praemissa, Te novam Corradianae Quaesturae editionem curaturum. Caveas igitur, ne idem Tibi, quod Gronovio aliisque, accidat, ut posteriorem operis partem recudendam cures, negligas priorem. Nam revera prior libri pars est, Mediolani nescio quo anno excusa, quam nuper amicus quidam secum ex Italia attulit, mihiq̄ legendam

dedit. Ipse dudum animadverteram Quaesturae principium legens, aliud opusculum, quod cum hoc conjungendum esset, a Corrado esse conscriptum. Sed quale esset, divinare non poteram. At charta jam deficit. Itaque vale, Flos patriae Tuae, nostrarumque decus literarum. Dab. Harlemi. Qui Harlemi? inquires. Nempe Splendidissimus Juvenis, Nicolaus de Dierquens, cujus studiis praefectus sum, ab aliquo tempore valetudine minus prospera usus est. Itaque cum illo ex Academia Leidensi secedendum fuit ad ejus aviam, Illustrissimam Matronam, de Raet. Inscribebas igitur literis ad me Tuis verba Gallica: chez Madame de Raet. d. 20. Octobr. 1748.

II.

VIRO MAGNO

IO. AUG. ERNESTI

DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Quoties de Te cogito, cogito autem saepissime, toties pudore suffundor, quod meae erga Te observantiae monumentum nondum in vulgus prodire juserim. Cum nuper Callimachea typis essent descripta, ecce, aliud injicitur impedimentum. Erant enim amici, quibus ille libellus nimis brevis, nec justae formae esse videbatur. Itaque suadebant, ut conjectu-

ras meas in Callimachi aequalem, Apollonium, quas tertio libello reservaveram, una in lucem proferrem. Quorum voluntati etsi obtemperavi, res tamen jam eo loco est, ut, nisi sub finem Januarii libellum nostrum acceperis, nunquam mihi in posterum fidem haberi velim. Jam vero ad id, cujus causa hae litterae exarandae sunt, accedam. Luchtmannus noster invitus ex *Miscellaneis Lipsiensibus* intellexit, Reiskium apud vos novam Herodoti editionem moliri, cum ipse jam diu id consilii agitarit, variis eam in rem praesidiis undique comparatis. Praecipuo ejus editioni ornamento futurus est eruditissimus Lud. Kusteri Commentarius, qui eo quondam animo, ut ederetur, scriptus, hucusque latuit in Regis Galliarum Bibliotheca. Idem Luchtmannus crebris etiam literis egit cum Gleditschii heredibus de redimendo Bergleri Commentario, et tandem summam, quam exigebant, solvere promisit. Quo magis ipsi mirum videtur, hunc Commentarium Reiskio edendum committi. Itaque Luchtmannus a Te, Vir Clarissime, quam observantissime petit, ut Berglerianas notas diligentius excutias, et, si judicio Tuo probentur, qualibet ratione possessoribus eripias. Demonstrabis praeterea bibliopolis vestris, editionem Lipsiensem, quamvis novae dote instructam, vilem tamen habitum iri prae ea, quae Leidae adornatur: praesertim cum verendum sit, ne praeclarus iste Editor idem sibi in Herodotum, quod in Petronium, licere putet. Sed de his satis.

Collationem Cod. Regii, quam Musarum in Gallia stator, Claudius Sallierius mecum communicavit, his

literis adjeci (*). Scholia inde emendari et suppleri poterunt: ad textum parum redundabit emolumentum. Quod ultimis literis scribis de Dionysio, perpetuo Callimachi imitatore, illud ipse quoque animadverteram. Operae pretium fuerit, hos poëtas diligenter inter se conferre. Idem Dionysius multa prope ad verbum hausit ex Apollonio Rhodio et Nicandro: quod viros doctos latuisse miror. Callimachum passim emendat Franciscus Nansius in Nonni Evangel. Joannis, et in Cur. Posterioribus; cujus emendationes superiores Editores vel nesciverunt, vel neglexerunt. Magna de editione Tua apud nostrates est expectatio: quam quin superaturus sis, qui Te norunt, haud dubitant. Glasgoviae in Scotia fratres Foulisii, biblioplae et arte sua et eruditione fere Stephanis pares, splendidissimam accuratissimamque parant Platonis editionem. Qui cum nuper Leidam inviserent, id mihi negotii dedere, ut literis per varias Europae partes missis exquirerem, qui Platonis Codices, quaeve doctorum hominum in eum animadversiones reperiantur. Praeterea plurimum aeris apud me deposuerunt, quo remuneret eos, qui Codicibus conferendis operam navant. Si quis igitur vestratium Platonem cum MStis committere velit, is luculento praemio, et quod fortasse opinionem superet, se mactari sentiet. Bibliotheca Cirtaviensi egregium Platonis Codicem attineri scio. Sed dubito, an ibi Graece doctus reperiat. Tu, Optime Ernesti, nisi grave est, cum in hanc rem, tum in alios Platonis Codices, qui

[(*) Edidit egin Collat. Tittmannus p. 92 sqq.]

in Germaniæ bibliothecis sunt, diligentius inquirens. Plurimum Te salutant duumviri Tui studiosissimi, Hemsterhusius et Alberti. Uterque vehementi tenetur desiderio legendæ illius Epistolæ, quam in Lucianum scribes. Thomas M. Leidæ prelum exercet. Bene de eo meretur δ π α ν . Lennepius in Phalaride expoliendo occupatur. Joannes Piersonus, juvenis valde eruditus et ingeniosus, Verisimilium libros parat, quibus Græcis scriptoribus, Euripidi maxime, lucem et medelam afferat. Salutabis meo nomine Elegantissimum Bachium, eique narrabis, me brevi aliquot libellos juridicos, recens editos, ad eum missurum. Vale, Vir Magne, mihi que, quod facis, favè. Dab. Lugduni Batavorum, d. 28. Novembr. 1751.

III.

VIRO EXIMIO ET AMICO SINGULARI,

IO. AUG. ERNESTI

DAVID RUHNKENIUS s. P. D.

Libero tandem fidem meam, et libellum mitto criticum, quem, velim, eo animo accipias, quo Tibi a me est consecratus. Plura exempla, quæ, si tantiputes, amicis Tuis dono des, alia via ad Te pervenient. Bachium nostrum, ut de eo in Actis Eruditor. sententiam dicat, rogavi. Apollonii Rhodii Excer-

cerptis MS. si res integra fuisset, libenter usus essem. Sed cum mihi non licuerit esse tam felici, easdem Variantes vel mea caussa non denegabis Juveni valde erudito et ingenioso, Joanni Piersono, qui brevi Verisimilium Criticorum librum editurus est in Euripidem, Sophoclem, Apollonium Rhodium, alios. Fac igitur, mi Optime Ernesti, prima quaque occasione illa Excerpta ad me perferantur. Magno, mihi crede, beneficio Piersonum Tibi devincies.

Callimachi Tui ingens apud omnes est exspectatio, Quem si Hemsterhusius, ut est a Te expolitus, viderit, eos in locos, quos Tu forte non attigisti, suas nobis impertiet animadversiones. Valckenario nemo plura collegit Fragmenta, ex ineditis praesertim Grammaticis. Ipse paucula notavi, quae hic subjiciam: Etymol. M. v. *Θηλαμάν*. Schol. Sophocl. ad Trachin. p. 342. et Suid. v. *Παλδουσα*. Idem v. *Φισυμς*. Schol. Thucyd. Lib. VII. p. 483. ubi vide notas in Scholia. Lexicon Barbarism. post Ammon. p. 197. Salmas. in Solin. p. 858. Hemsterh. ad Hesych. v. *Ἀφάρτος*. Brevi Parisiis exspecto Apollonii Dyscoli Grammaticam ineditam, ex qua horum numerum bene augere licebit. Nec dubio, quin multa Tibi suppeditaturus sit Scholiastes Homeri MS. Lipsiensis. Callimachi Epigramma est etiam inter Jensiāna n. CXXII. quod emendavi Epist. Crit. I. p. 78.

Cum Saxio de Taciti editionibus agere non licuit, Is enim Leida Ultrajectum abiit, ut praesit studiis nobilissimi Burmanni, Casparis N. Africanum ad Te curabo, quam primum ejus copia facta fuerit. Wetstenius Testamentum impensis suis imprimendum curavit.

Au

Auctor ipsi fui, ut plura exempla Lipsiam mitteret. Brevi pars altera prodibit, frementibus licet pertinacioribus Theologis. Boernerus vester iniquissime egit cum homine candidissimo, et (quod expertus scribo) sanctissimo. Si commodum fuerit, fac, ad me referantur opuscula quaedam a Te recens edita; quibus non ego solum, sed et Hemsterhusius et Alberti, qui Te quam officiosissime salutant, mirifice delectantur. Sed non amplius Te morabor. Vale, Vir Magne, et amorem in me Tuum mihi perpetuo conserva. Dab. Leidæ. d. 28. Januar. 1752.

I V.

ILLUSTRIS INGENII ET DOCTRINÆ VIRO,

IO. AUG. ERNESTO

DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Jam dudum aliquid literarum ad Te dedissem, nisi expectare voluissem, quid novi Lipsia afferatur. Sed cum neque a Bachio nostro literas acceperim, neque Acta Eruditorum et Miscellanea Lipsiensia huc perlatas sint, non diutius cunctandum putavi. Quam a me petisti Epigrammatum Callimachi Collationem (*), his literis adjeci; quæ, non dubito, quin Tibi gratis

[(*) Vid. apud Tittmann. p. 96 sqq.]

sisima sit futura. Multa etiam ab aliquo tempore fragmenta collegi, quae missurus sum alias. Ἐπιχρισίω Tuam conjecturarum in Callimaeum mearum summa cum voluptate perlegi: tantum abest, ut aegre feram, sicuti in alia omnia eas. Etenim malim a Te viro tanto reprehendi, quam ab imperitis laudari. Sunt tamen paucula, quorum defensionem suscipiendam duxi.

Pag. 11. [H. in Jov. 56.] Recte tueris ἀνηβήσας. Nam ἀνηβᾶν pro *repubescere* ipse postea reperi apud Philonem Jud. Libro, quod deter. potiori p. 127 F. et in Cratini Fragm. ap. Phrynich. de Dict. Att. p. 42. Aliud exemplum ex Synesio laudat Thom. Mag. v. Ἡβᾶν. Piersoni tamen emendatio Verisim. p. 176. vel sic admittenda est, propterea quod ἂν in isto Euripidis loco necessario requiritur.

Pag. 12. [ibid. vs. 79.] Ἐκ δὲ Διδός. Quae actus te contra dixisti, nondum videntur convellere emendationem meam. Amicus quidam conjiciebat: ἐπεὶ Ἰδὲς οὐδὲν ἀνάκτων etc. Sed neque hoc facile probaveris. In hanc sententiam Artabanus apud Plutarchi Themistocl. p. 125. C. regem suum vocat εἰκόνα θεοῦ.

Κεῖνος διστευτὸν (*). Alter versus expungendus est, etiamsi haud probetur Scaligeri emendatio.

Pag. 22. [H. in Ap. 64.] Ὡδ' ἔμαθεν. Ἐγείρειν τείχος, γεδόν, etc. passim obvia sunt, et ex Veteribus notata Polluci l. II. 174. et Thomae Mag. v. Ἀνέσθησα. Si θεμέθλια ἐγείρειν alicubi reperiretur, nihil praec.

[(*) Cf. supra Ep. I. p. 316.]

praesidii inde accederet versui putidissimo. Neque hac sola de causa est a nobis proscriptus.

Pag. 22. [ibid. 72.] ἴσθε πρότιστον etc. Τόγε, quod substituis, non mintis friget altero.

Pag. 24. [H. in Dian. 27.] πολλὰς δὲ μάτην. Adjectiva a poetis adverbialiter usurpari, pulcre novi. Sed si Tu, mi suavissime Ernesti, vulgatam lectionem tueri velis, proferenda sunt exempla, in quibus v. c. πολλὰς ὀφθαλμοῖς βλέπειν dicitur pro πολλὰκις ὀφθαλμοῖς βλέπειν, vel πολλοῖς πόδας ἐκτείνειν pro πολλὰκι πόδας ἐκτείνειν, quae in omni Graecia frustra quaeres. Quodsi ἀπαλὰς tantopere displicet, cum Codice Vossiano legas, licet, πολλὰ δὲ μάτην, ut Ennius ap. Ciceron. de Divin. I. 20.

— *multa manus ad coeli caerulea templa*

Tenebam lacrimans —

tibi vide Davisium. Forte non deerit aliquando, qui maluerit, παιδὰς δὲ μάτην. Diodorus Anthol. L. III, cap. 9. p. 322.

— παιδὰς αὐτῆς ἔτεινέ χεράς.

Eodem versu Amicissimus Valckenaerius pro μέχρῃς ἵνα corrigit λέχρῃς ἵνα, me non probante. Legi, sed non adnotavi, illud ipsum μέχρῃς ἵνα apud Quintum Calabrum. Conf. Wass. in Thucyd. L. I. p. 8. Doctus hercle vir Valckenaerius, et in Graecis literis id, quod summum est, consecutus. Sed eodem, quo quondam Isaac. Vossius, morbo laborat. Rarisima quaeque et insolentissima consecratur, invitisque obtrudit auctoribus.

Pag. 25. Μίρον, Τε, ὃ φιλότης, scenam in coelo

collocare. Quomodo enim haec convenient liberis a
 majorum gentium Diis, qui coelum obtinebant, pro-
 creatis? Imo si Tecum cogites, quae tandem istae
 in coelo puellae fuerint, reperies omnino nullas.
 Nam Dianae et Minervae liberi nulli perhibentur,
 Jovis quidem, Apollinis et Mercurii plures, sed
 omnes ex mortalibus genitae mulieribus, omnes in
 terra degentes. Quare per *μακάρων θυγατέρας* [ibid.
 65.] intelligo Daemonum vel Heroum filias. Et sic
 facile patet, quam alienus ab hoc loco sit fuligino-
 sus iste Mercurius.

Pag. 42. Mentem Tuam non satis assequor. Om-
 nino scripsi, *αἰτιῶνται*, scilicet *οἱ περὶ Ἀπολλώνιον*.
 Quodsi *αἰτιῶνται* passive accipias (modo quis veterum
 ita locutus sit) stare potest vulgata lectio.

Pag. 45. *Ἐπίριον*. Grammatici ap. Ducangium in-
 ducium Tibi debeo. Quid? si iste cum reliquis er-
 raverit?

Pag. 48. Displicet jam *μέλλεν* pro *μαῖλλον*. Nam
 articulus *τὸ* necessario adesse deberet. *Καὶ ταῦτά
 μὲν δὴ ταῦτα*. Sed cum Callimachus haec scribenti
 ad manum sit, ut longiores a Te literas eliciam, no-
 vas aliquot divinationes Tibi dijudicandas proponam.
 Epigr. XXIX. in Aratum. Dubito, an ullum unquam
 proditum sit Epigramma, ad quod emendandum tanto
 studio undique convolarint homines eruditi. Hinc
 illa lectionis varietas, hinc tot discrepantes senten-
 tia; quas si accurate explicare, et tandem certi quid
 constituere velis, non Nota, sed Dissertatio aut Pro-
 fusio Tibi scribenda erit. Primus, quantum recorder,

hoc Epigramma ex Achille Statio MS. (*) protulit Fulv. Ursinus in Virgilium p. 14. edit. Valckenar. Deinde una cum Achille ediderunt Petrus Victorius, et Petavius in Uranolog. p. 134. In Epigr. emendando ingenium exercuerunt summi viri, Is. Casaubonus, Salmasius, Is. Vossius, locis a Fabricio Bibli. Graec. Vol. I. p. 380. indicatis. Citatur praeterea cum aliqua varietate a Jo. Fello init. Arati Oxon. 1672. editi. Diversa etiam est Holstenii lectio, sed omnium maxime depravata: unde nollem Illustris Bentlejus arripuisset σύντονος ἀγρυπνίη. Bentlejo se objecit Joannes Clericus Sylvar. Philolog. cap. VI. p. 237. Lectionem σύγγονος ἀγρυπνίη vetustissimam esse, cum aliunde patet, tum ex vita Arati inedita (†), quam his literis adjeci. Hanc nuper eruditus Anglus in gratiam meam ex Bibliotheca Bodlejana descripsit. Cumque multa praeclara contineat, et quae alibi frustra quaeras, non alienum fuerit, eam a Te, Praestantissime Ernesti, in notis ad Callimachum in lucem proferri. Jam etsi illa verba, quibus Grammaticus hoc Epigramma laudat; propter corruptelam non satis intelligo; patet tamen hinc id, quod dixi, lectionem σύγγομος ἀγρυπνίης pervetustam esse. Sed quis mortaliū commodam inde sententiam extundat? Equidem huic Grammatico, docto ceteroquin et antiquo, ne dejeranti [quidem crediderim, Callimachum isto mo-

[(*) Monente Tittmanno, Ernesti in margine adscripsit: Sed tum jam editus erat Achilles a Victorio.]

[(†) Exstat ea in Callim. Erp. T. I. p. 590. et ap. Tittmann p. 106 sqq.]

modo scripsisse. Uti vero prioris distichi redintegranda gloria Tibi reservata est, ita posterioris inventeratam corruptelam recte mihi videor profligasse. Legendum:

— χίριτε λεπταί

Ῥήσεις, Ἀρήτου σύμβολον ἀγρυπνίας.

Leonides Anthol. L. VI. cap. 12. p. 563.

— λάμβανε βιβλον,

Καῖσαρ, Ἰσηρίθμου σύμβολον εὐεπίης.

Sed simillimum illud Anthol. L. V. c. 28. p. 509.

Στήσε τρόπαιον, εἷς σύμβολον ἀγρυπνίας.

Fragm. CCCVII. Τὸν ὄγδοον ὥστε Κόροιβον. Hujus Fragmenti interpretatio unice petenda ex Dione Cassio Tom. II. p. 1359. ed. Reimar. οἱ μὲν γὰρ Ἡλείοι φθούσαντες αὐτῷ, μὴ, τὸ λεγόμενον δὴ τοῦτο, ἀφ' Ἡρακλέους ὄγδοος γένηται. Sicut qui Herculem virtute aequat, ὄγδοος ἀφ' Ἡρακλέους proverbio dicitur, sic qui Coroebo stoliditate pat est, ὄγδοος Κόροιβος. De Coroebo vid. Hesych. in v. Leopard. Emend. XIV. 8. et Perizon. in Aelian. V. H. XIII. 15.

Corruptissimum est Frasm. CCCXXXIII. Ἄ πέντως ἴνα γῆρας. Sed, nisi fallor, commode refici potest ex Plutarchi Sympos. Lib. III. Qu. VI. p. 654. D. ed. Francof. qui haec laudat ex hymno aliquo, Callimachi, puto, in Venerem: Ἀάβαλε ἄνω τὸ γῆρας ὃ καλὰ Ἀφροδίτα. Scio, ἄβαλε utinam significare. Hic tamen leviter correxerim: Ἄ βάλε ἄνω τὸ γῆρας etc. Ah! differ senectutem. Forte huc etiam respicit Glossarium vetus MS. quod penes me est: Ἀναβολῆν ὀδῆς, ὡς λέγουσιν, ἄνω βάλε ἡμῖν. καὶ ὁ

ποιητής* (Odyss. A. 155.) ἤτοι ὁ Φορμίζων ἀνεβάλλετο. Plura, si haec non displicuerint, alias.

Ernstium Tuum, quod doleo, neque videre licuit, neque ullum adeo ipsi potui humanitatis officium praestare. Venit enim huc alienissimo tempore, id est, vacationibus aestivis, quo et ego et plerique Professorum in praedia suburbana secesseramus.

Wesselingius diu reluctatus, tandem Herodoti curam suscepit: de quo historiae veteri Graecisque literis merito gratulamur. Bergerianum illud exemplar si sex septemve ducatis emere possis, Luchtmanno gratissimum feceris. Idem Luchtmannus ab Te petit, ut tempus, quo Callimachum Tuum huc missurus es, circiter definias. Nam ipsi constitutum est, ut nova editio tanto citius prodeat, Spanhemii Commentarium interea prelo subjicere. Latente curae aliquae posteriores in margine exemplaris, quod Berolini est?

De Corradi editione, quae Tua est facilitas, non aegre feres, si Tibi aurem vellam. Multi hic illius aureoli libelli desiderio tenentur, cui illustrè decus addet praefatio Tua. Non est, quod Te, quem nihil harum rerum fugit, admoneam, τὸν πάνυ Léopardum Emend. L. V. c. 1. quaedam in Corrado castigasse, quorum in praefat. habenda erit ratio. Bene vale, mi suavissime Ernesti, meque, ut amas, ama. Salvebis ab Hemsterhusio et Alberto, quorum uterque Tui est studiosissimus. Saluta meo nomine elegantissimum Bachium, ad quem propediem fasciculum dimissurus sum. Dab. Leidae. d. 28. Novembris 1752.

VIRO SUMMO,

IO. AUG. ERNESTI

DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Binas literas eodem fere tempore a Te accepi, suavissimas illas quidem, ut omnia, quae a Te proficiuntur, sed tamen breviores et rariores, quam vellem. Quod si in posterum graviora negotia Tua ullo modo ferant, ut frequentius inter nos sit commercium, noli librarios ad mercatum ventitantes expectare, sed potius, quoties et quandocumque libuerit, literas cursori publico perferendas committe. Pro Corradi Quaestura maximas Tibi gratias ago. Reiskii in Sophoclem libellus hic omnium risu exceptus est. Qualis Oudendorpii de illo sententia sit, ex schedula adjecta cognosces. Indignationem vero mihi aliisque expressit iniqua et proterva recensio, qua ingeniosissimi Piersoni Verisimilia vexavit. Vellem, Ernesti amicissime, auctoritate Tua, quae, sicut esse debet, summa est, importunam belluam a talibus audendis deterrere posses. Sed cui bono iste criticas in Graecos auctores Animadversiones scribit? Credo, ut sibi insigne nomen paret, et saepe ad partes vocetur ab eruditis Belgis. Sed sciat, hic praeter duos proletarios Literatores, Abreschium et Bernardum esse neminem, quin Reiskio non dicam publice lau-

dando, sed nominando et citando librum suum *con-*
spurcari putet. Ne hoc quidem honore fruatur, ut
 quis lacessitus ei respondeat. Nam ut quis facilem
 et paratam sibi victoriam videat, nollet tamen tam
 vili sanguine inquinari.

Wetstenii Testamentum nuper ad Te dimisit Lucht-
 mannus. Schultensii Diss. de lingua primaeva affecta
 adhuc latet apud ejus filium. Callimachi editio pri-
 ma est in bibliotheca Dorvilliana. Sed nemini ad
 eam aditus patet. Dabo tamen operam, ut illam Ti-
 bi aliunde parem. Hymnum in Lav. Pall. ex vetusto
 Cod. olim protulit Ang. Politianus in Miscellaneis;
 quorum si primam editionem contuleris, deprehendes
 aliquot varietates haud contemnendas. Memini Te
 aliquando scribere de mittendo ad nos indiculo loco-
 rum difficiliorum. Quod ut quam primum facias,
 Te etiam atque etiam rogo. Sic enim mihi aliisque
 justum tempus fuerit ingenii in iis expediendis exer-
 cendi. Levicula quaedam, a me ad Fragmenta ob-
 servata, his literis adjeci. Arati etiam Vitam rursus
 mitto, accuratius descriptam, et castigatam meis et
 Hemsterhusii notis. Poterit in nova editione locum
 invenire vel ad celebratissimum illud Epigram. XXIX.
 Ἡσίοδος τὸ δ' αἶσμα, vel etiam inter Fragmenta. Sui-
 dae ἀποσπασμάτια quaedam, suppresso poetae nomi-
 ne, citantur, quae haud vana conjectura ductus ad
 Callimachum refero (*).

v. Καταίξ. Tom. II. p. 254.

Ἡδ' ἀπὸ Μηρισσοῦ θεῶν Βορέας καταίξ.

Ad-

[(*) Cff. Fragmenta ap. Tittmann. p. 100.]

Addit: ἤτοι ἀπὸ τῆς Θράκης. Qui versus ex eadem officina prodiit, ex qua ille H. in Dian. v. 114. Αἷμα ἐπι Θρήϊκι, τὸθεν βορέαιο καταίξ.

v. Κυμαίνει.

Αἷφα δὲ κυμαίνουσιν ἀπαίνυτο χυτρίδα κοίλιν.

Ex Hecale, ut puto.

v. Ὑποδράξ.

Ἡ δὲ πελιδνωθεῖσα, καὶ ὄμμασι λοξὸν ὑποδράξ

Ὅσσομένη —

Conf. Nicandri Theriac. v. 457. 765.

v. Φόβη.

— ὅστις Φόβησι ξανθοτάταις ἐκδομα.

v. Ὀκχή.

— Γέντο δ' ἐρείκης

Σκηπάνιον, ὃ δὴ πέλε γήραος ὀκχή.

v. Ἀείπλανα.

— Ἀείπλανα χεῖλεα γρηός.

v. Ὑδα.

Αἴθρην τε εὐτέκνον ἐπ' ἀγρομένοις ὑδέοιμι.

Ex Hecale.

v. Πασσαγίν.

Εἶλε δὲ πατσαγίν. τὸδε δ' ἔνεπε.

v. Λάταξ.

— τοὺς δὲ μεθυστὰς

Καλλεῖψω, λατάγων πλήγμασι τερπομένους.

v. Πίσαα.

— καὶ ἀγλαὰ πίσαα γαίης

βόσκοο —

v. Ἀφραστύες.

— Σχέτλιας ἀνθρώπων ἀφραστύες —

v. Φιληδῶν.

Ἄλλὰ Κόρινθος ἔδεκτο Φιλῶξεος κ. λ.

v. Λιμός.

Γαστέρι μούνον ἔχοιμι κακῆς ἀλκτῆρια νούσου.

Ex Hecale. Conf. sup. v. Ἄλκτῆρια λιμοῦ.

v. Στόρνησι.

Αἱ δὲ γυναῖκες στόρνησιν ἀνέστρεφον.

Addit, περι Θησέως, ut nihil dubites, quin ex Hecale sumptum sit.

v. Ἄξεινος.

— ἦχι κούστραι

Ἄξειναι λυθρῶ τε καὶ Ἄρει πεπλήθωσι.

Sed pro Ἄρει legendum εἶαρι, sicut ipse citat v.

Ἐαρ. ἔαρ pro sanguine est apud Callim. in Fragm.

Vid. Hemsterh. ad Lucian. Dial. Deor. p. 240.

Facile me in nonnullis horum conjectura fallere potest. Sed, qui utramque Anthologiam et editam et ineditam, itemque ceteros poetas accurate cum Suida contuli, videor mihi de his aliquanto certius posse pronunciare. Nondum a Callimacho Tuo discedo. Hymn. in Lav. Pall. v. 47. fons Φυσάδεια commemoratur, cujus nusquam alibi mentionem reperire potuit Spanhemius. Juvat illum Tibi monstrare in mendo cubantem apud Stephan. Byz. v. Ἀσβατος, ubi hi Euphorionis versus afferuntur: Ἴπποι καλὰ νόουσαν ἐπορύμενοι Φυγάδειαν. Paene miseret me Interpretum, Φυγάδειαν fugam exponentium. Sed Tu videris, acutissime Ernesti, sitne potius et in Callimacho et in Euphorione scribendum Φυγάλειαν. Pausan. L. VIII. p. 680. commemorat Φυγαλίαν νύμφην τῶν καλουμένων Δρυάδων. Ibidem est Φυγαλος, Lycæonis filius, a quo urbs Φυγάλεια nomen invenere.

At-

Atque haec urbs simili interdum errore Φυγέλεια scribitur. Vid. Sylburg. ad Pausan. L. IV. p. 337.

Wetstenii Testamento addidi aliquot Timaei plagulas, in quas quo severiorem crisin exercueris, eo mihi gratius feceris. Castigationibus Tuis locus dabitur in Addendis. Coepi etiam aliquid commentari in Marmora vetera, quod inseretur Memoriis Academiae Inscriptionum et elegantiorum literarum Parisinae, cui ante aliquod tempus socius sum adscriptus. Totus deinde ero in expoliendo praeclaro Phrynichi opere MS. Σοφιστικῆ προπαρασκευῆ, cui alia etiam quantivis pretii accedent, ex Codd. MSS. Bibliothecae Regiae deprompta. Sed quando Tuam in Lucianum Epistolam criticam videbimus? Dedit mihi hoc negotii Tui studiosissimus Hemsterhusius, ut Tibi aurem velle-rem. De Bachio nostro diu est, quod nihil acceperim. Vellem, magnum aliquod et duraturum ingenii sui conderet monumentum. Non poterit ejus studium melius collocari, quam in Xenophontis Operibus omnibus ea cura et accuratone, qua digna sunt, edendis. Cui editioni insigne decus conciliarent Codicum Florentini et Parisiensis Collationes, quae nuper, favente fortuna, in manus meas pervenerunt.

Sed paene mihi exciderat, meritas Tibi gratias agere pro pulcherrimo munere, Aristophanis Nubibus: cujus Tu Scholia vetusta ita castigasti, nihil ut fieri potuerit ingeniosius aut elegantius. Cum p. XXII. tentares ἐκ τοῦ ψηφισματος Μεγαρέων, forte gravi-
 bus intentus, non attendebas ad duplicem vim Genitivorum apud Graecos.

Vale, Vir summe, et ad me, quam creberrime poteris, quam longissimas literas scribe. Plurimum Te salutant VV. CC. Hemsterhusius, Alberti et Oudendorpius. Dab. Lugduni Batavor. d. 27. Decembr. 1753.

VI.

IO. AUG. ERNESTI,

VIRO CELEB.

DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Sub ipsum meum ex Batavia discessum duas a Te literas eodem fere tempore scriptas accepi. Inprimis mihi gratus accidit Catalogus, quem adjeceras, Boernerianae bibliothecae: ex qua, quando potestatem facis, pretio, quo Tibi digni visi fuerint, hos mihi libros parabis: p. 53. Phrynichum cum MSS. Vulcanii, si sint alicujus momenti. p. 71. Grammii Observationes in Aratum. p. 68. Scholia Homeri Romae 1517. cum MS. Salmasii. Ibid. Scholia in Homerum cum notis Bongiovanni. p. 72. Nicandri Theriaca apud Aldum. Ib. Dicta Poëtarum ex Stobaeo. p. 75. Scholia in Homerum Horneji. p. 78. Phileleutheri Emend. in Menandrum. NB. editionem Cantabrigiensem. p. 86. Spicilegium Animadversionum in Philostratum. p. 102. Putschii Grammat. veteres. Grammii Observat. in Aratum et Bongiovanni Scholia

in

in Hom. quovis pretio emi velim. Alterum enim nunquam vidi, alterum semel.

Equidem plures jam menses in Gallia haereo, et in excutiendis tum publicis, tum Monasteriorum privatorumque hominum bibliothecis multum studii consumo. Neque adhuc poenitet sumtuosum iter fecisse. Nam vere Tibi, mi Ernesti, affirmare possum, hoc iter meum, si Deus vitam concesserit, et Graecis literis et omni antiquitati mirifice profuturum. Etenim plures jam Criticos Grammaticosque veteres ex situ et pulvere extraxi, quos, si videris, Polluci et Harpocrati comparandos, Hesychio et Suidae praefereandos judicabis. Sunt in his, quos dudum vetustate absumptos credebam, v. c. Orion Thebanus et Eudemus, quorum prior Ἐτυμολογικὸν scripsit, posterior Λεξικὸν Ῥητορικόν. Callimachi nihildum reperi, nisi fragmenta in Glossariis antiquis conservata, quae alio tempore Tecum communicabo. Sub futurae aetatis initium in Bataviam revertar. Neque Tibi auctor sum, ut ante mittas Callimachum Tuum. Nam qui ejus curam suscipiat, scio neminem.

Quod scribis, Te, Callimacho absoluto, Xenophonti operam navaturum, dignum est negotium summo ingenio et rara eruditione Tua. Equidem non tantum excerpta Codd. quae penes me sunt, Tibi suppeditabo, sed cum editis etiam committam Cod. membranaceum, qui Leidae est, Κυροπ. et Ἀναβ. Quicquid porro in Parisinis Bibliothecis est, facile pro ea, qua apud Illustres viros, Bignonium et Sallierium valeo, gratia Tibi parabo.

Sed quando videbimus novam Clavis Ciceronianae

editionem? Galli etiam hunc librum avide desiderant. Ceterum miror, Librarios vestrates tam parum commercii habere cum Gallis. Certe ne unum quidem exemplar Suetonii et Taciti Tui huc perlatum est: quod moleste ferunt Academici eruditi. Capperonnerius et Bejotus, Viri Graece doctissimi, praeclaram parant Plutarchi editionem: quam in rem infinitum apparatus ex omnibus fere Europae bibliothecis congegesserunt. Parisinis etiam typis cum maxime describitur Sophocles ex editione Johnsoni, cui Capperonnerius, me auctore, adjiciet duorum vetustissimorum Codd. collationem. Reperi hic Medicum, Falconnetum, supra quam credas, Graece doctum, quem omnibus modis excito ad condendum ingenii tam praestantis monumentum. Quid agit Gunzius vester? Dabitne novam Aëtii editionem? De Trilleri Hippocrate spes omnis, credo, decolavit. Nec aegre feret, qui norit hominem loquacem, ventosum, indoctum; cui, mirum est, Gesnerum tantum tribuere. Bachium nostrum quam officiosissime salutabis. Vale, Vir Summe, meque, quod facis, ama. Dab. Lutetiae Parisiorum. Kalend. Februar. 1755.

Literis Tuis inscribas: à l'Hôtel le Duc de Bourgogne rue de Parcheminerie à Paris.

VII.

IO. AUG. ERNESTI,

V. CEL.

DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Diutius, quam vellem, inter nos cessavit literarum commercium; quod cum per se suavissimum, tum bonis literis utilissimum, singulari semper colimus diligentia. Superiore quidem anno, mense, ni fallor, Februario, Parisiis ad Te scripsi. Sed nihil ex illo tempore a Te literarum vidi. Neque tamen ideo minus saepe vel de Te, vel de Callimacho Tuo cogitavi: quod vel ex schedula subjecta cognosces. Continet autem illa varia Callimachi Fragmenta *ἀνέκδοτα*, ex libris MSS. eruta. Restant tamen paucula, alias Tecum communicanda, in MSto Apollonii Rhodii Scholiasta, cujus usuram vir doctus in Frisia cum maxime a me impetravit. Hymnorum Callimachi Codicem Regium cum ipse Parisiis evolverem, glossas quasdam interlineares, tanquam levioris momenti, in doctissimi Capperonnerii collatione reperi omissas: quas et ipsas in schedulae fine a me restitutas videbis. Notae Tuae in Callimachum, noli dubitare, Vir Summe, quin, quo erunt longiores uberioresque, eo futurae sint gratiores. Sed quandoquidem Luchtmanus hunc poetam duobus voluminibus concludi cupit, poteris, ut spatium lucreris, Vulcanii, Annae

Fa.

Fabri et Spanhemii Fragmenta cum Bentejanis in unum corpus conflare. Testimonia etiam de Callimacho aliter disponenda sunt, inepte a Graevio digesta. De Epigrammatum et Fragmentorum versione Latina quid Tibi videtur? Negat Hemsterhusius illam Bentelejo deberi. Quid porro censes de Epigrammate, Ἐχθαίρω τὰ ποιήματα τὸ κυκλικόν etc. Hoc idem Vir egregius insulsum recentioris poetæ lusum credit. Sed Hemsterhusianae conjecturae alias fortasse Tecum communicabuntur. Callimacho expolito, si Xenophonti studium Tuum dicere constitueris, quaeso, me in hujus laboris societatem admittas. Debebit elegantissimus scriptor nonnulla ingenio nostro: sed multo plura libris, quos consulimus, manu exaratis. Equidem totus sum cum in ornanda Phrynichi Προπαρασκευῇ Σοφιστικῇ, tum in paranda Scholiorum Platoniorum, nuper a me ex bibliothecarum latebris protractorum, editione. Noli quaerere, an vetustate et eruditione commendentur. Si ab Aristophanis et Apollonii Criticis discesseris, non est, quod cum illis ullo modo comparari possit. Vix fidem inveniet, tam egregium antiquitatis monumentum tandiu latere potuisse in illa bibliotheca, cui Budaeus, Casaubonus et Rigaltius olim praefuerunt.

Vellem, commendatione Tua, mi Ernesti, Guelpherbyti notitiam contrahere possem cum viro quodam Graecis literis exulto. Est enim in illa bibliotheca unus alterve Codex, cujus mihi opus est Variantibus. Qua de re, nisi grave est, facies me certiozem. Salutat Te Hemsterhusius, et tum Callimachum Tuum, tum Epistolam Criticam, quam olim

In Lucianum scribere promisisti, cupide mecum expectat. Vale, mi amicissime Ernesti, meque, ut amas, ama. Dab. Leidæ d. 28. April. 1756.

VIII.

VIRO SUMMO,

I. A. ERNESTO

DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

De honorum incrementis, quæ in patria Tua capis, Tibi etiam atque etiam gratulor. Illud tantum vereor, ne novi, qui hinc nascuntur, labores, Tibi Callimachi hoc anno absolvendi facultatem eripiant. Interea Spanhemianus Commentarius prelo subjicietur. De Epigr. et Fragm. versione non aliam Hemsterhusius habet dubitandi causam, quam quod multis locis indigna est Bentlejo, nec accommodata ad certissimas, quas in textum recepit, emendationes. Idem de conjungendis aliorum fragmentis cum Bentlejanis mecum sentit; nec repetendas esse censet Voetii notas, fuitiles certe et perineptas. Frischlini Annotationes quamquam et ipsæ hanc literarum lucem vix ferre possunt, ideo tamen, nisi Tu aliter jubeas, sunt iterandæ, quod passim a Spanhemio aliisque ad partes vocantur. Tantum igitur spatii cum Tibi, mi Ernesti, tributum sit, indulge ingenii Tui ubertati, sic ut

non

non solum de Callimacho, sed de omnibus Graeciae veteris scriptoribus praeclare mereare: indulge etiam aureae, qua polles, eloquentiae, ut alii hinc in posterum eleganter commentandi exemplum sumant. Scribant breves notulas, quibus curta domi supellex est. A Te, quem antiquitatem omnem capitali ingenio complexum scimus, non nisi Excursus, quales in Suetonium dedisti, exspectamus. Pergratum mihi feceris, si, ex occasione, cultissimis Homeridarum hymnis medicinam afferas. Equidem dudum illorum editionem meditor. Sed omnium lectionum monstris me haud parem sentio perdomandis.

Quicquid reliqui erat penes me Fragmentorum Callimachiorum, in schedula subjecta reperies. Plura fortasse suppeditabit Apollonii Dyscoli (*) Grammatica inedita; cujus adhuc dimidia tantum parte fruor. Brevi tamen, quod restat, Parisiis ad me perveniet.

Literis, quas ad Cl. Heusingerum dedi, Tuas adjungas, meque ipsi de meliore nota commendes. Mirifice gaudeo, hominem Graece doctum in illa urbe reperiri. Habet enim bibliotheca Ducis multos insignesque Codices, in his etiam, ni fallor, Xenophontem: quem ut conferri jubeas, Tibi magnopere auctor sum. Wetstenius, qui Amstelodamo Leidam habitatum concessit, non videtur alienus ab imprimendo Xenophonte, Tuis curis perpolito. Albertus noster pristinam sanitatem recuperat, Teque salutat. Hemsterhusius etiam Tibi salutem impertit. Is parum contentus juvenilibus in Pollucem curis, ingentem in hunc Grammaticum scripsit Commentarium,

[(*) Cf. fragmentum ap. Tittmann. p. 104.]

separatim edendum, in quem omnes eruditionis suae thesauros profudit. Cui etsi nihil ad perfectionem absoluteque deest, tamen is manum de tabula tollere nescit. Juvenis Frisius Gisbertus Koen novam parat editionem Corinthi, vel Gregorii potius, de Dialectis. Kappii bibliotheca si publice vendatur, quovis pretio comparabis Lennepio V. Cl. Phalariidis Variantes, olim ipsi a possessore negatas. Munusculis, quibus me beasti, nihil mihi accidere potuit gratius. Brevi, ut spero, leve ἀντίδοτον a nobis habebis. Batavi tandem cogitant de me in lucem protrahendo: qua de re plura scribam sequentibus literis. Bachium V. Cl. meo nomine, nisi grave est, saluta, et literas ad me crebrius, fac, mittas. Hoc nihil mihi erit jucundius. Vale. Dab. d. 24. Junii Leidae. 1756.

I X.

VIRO SUMMO,

IO. AUG. ERNESTI

DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Magnum, mihi crede, dolorem capio ex rebus adversis, quibus Saxonia cum maxime conflictatur, et intimis saepe sensibus angor, vel de Te cogitans, vel de Rittero nostro. Nec Tibi unquam vitio ver-

te-

terim, si hoc tali tempore, non dicam Callimachi, sed mei etiam sit memoria a Te abjecta. Sed cum nulla res aequae sollicita sit atque amor, facile Tibi est ad existimandum, quanta cupiditate flagrem aliquid de Te rebusque Tuis audiendi. Cui desiderio meo si vel tribus verbis satisfeceris, maximo me a Te beneficio affectum existimabo.

Obtigit enim tandem vitae meae studiisque portus maxime tranquillus et optatus. Namque mense proxime elapso Illustrissimi Academiae Leidensis Curatores, Hemsterhusii commendatione adducti, me publicum Graecarum literarum Praelectorem (Germani Professorem extraordinarium dicunt) proposito satis luculento stipendio, crearunt. Cessit igitur mihi summus magister, ob aetatem ingravescentem, Graecae linguae docendae provinciam: historiae enarrationem sibi servavit.

Spanhemianum Commentarium operae prope totum exscripsere. Ultimam, quam vocant, revisionem legens, infinitos errores sustuli, a superioribus operis, Spanhemii manum minus assecutis, temere invectos. Vel sic tamen restant aliquot loci, ex quibus nullum idoneum sensum elicias. Integrae enim periodi loco suo turbatae videntur.

Heusingerus, cujus amicitiam literis humanissime scriptis ambieram, cui Tu etiam me de meliori nota commendaras, nihildum mihi respondere dignatus est. Cupio scire, quid de eo tam male meritus sim, ut ne tralatitio quidem honore me dignum putet. Amico utitur Fischero, ex quo Tibi facile erit silentii causam indagare.

Plu-

Plura scribam, si literas Tuas accepero. Interim
vale, Vir eximie animoque meo carissime, et Ba-
chium nostrum meo nomine saluta. Dab. Lugduni
Batavorum d. 8. Mart. 1757.

X.

VIRO SUMMO,

IO. AUG. ERNESTI

DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Plane nescio, quibus verbis Tibi gratias agam, aut
quomodo satis digne laudem munera, quae humanis-
sime ad me misisti. Quanta in illis est verae et so-
lidae doctrinae (*) copia et varietas! Profecto vix
quisquam hodie in una eruditionis parte tantum emi-
net, quantum Tu in omnibus. Commentatione ad
Callimachi Epigramma nihil in hoc genere vidi ele-
gantius. Utinam omnes Callimachi locos, qui aliqua
difficultate laborent, tam fuse illustrares! Nam ut
longas aliorum notas plerumque respuo, sic Tuarum
notarum longissimam quamque optimam judicio. Ni-
hil igitur caussae est, quare prolusionem, quam dixi,
in editione Callimachi ipsa contrahere et in compen-
dium

[(*) Et hic locus accedat feliquis quos notavimus su-
pra p. 759.]

H h h

dium mittere constitueris. Satis Tibi ad commentandum spatii erit, Frischlini et Voetii nugis abjectis. Praeterea varios illos Indices, qui bis terve eandem rem exhibent, in duos, alterum verborum, alterum rerum, conflare, et Spanhemiano Commentario subijcere constituimus. Quo facto rursus plurimum spatii lucraberis. Bentlejanas notas, cave, textui subicias. Sunt enim jam in alterum volumen a me rejectae. Sed ut de Epigrammate illo verbum addam, nondum a Te persanatum videtur. Nam ὄχα, quod restituis, nimis rarum est, nec usquam, nisi apud Homerum cum superlativo ἄριστος, reperitur. Felicior hora fortasse Tibi, quod probabilius sit, supeditabit. Ad Bentleji conjecturam, σύντονος ἀγρυπνία, conferas, licet, Nilum Epist. XXXIV. p. 57. ἀλλὰ καὶ εὐχῆς ἄψαι λοιπὸν, καὶ ψαλλῶν νηφαλίων, καὶ ἀγρυπνίας συντόνου. Bentl. Fragm. XI. videtur augeri posse versiculo e Luciano Amor. T. II. p. 451. Sed eundem versum cum alio pentametro laudat Plato in Lyside p. 503. Tu videris.

Dissertationes in Josephum, quas praeclare instituisti, quaeso, quam primum absolvas, et postea illas, si ita visum fuerit, uno volumine conclusas, in Belgarum nostrorum gratiam, separatim edas.

Initia Tua Rhetorices multis scholarum magistris in hac regione commendavi; qui se insignem inde fructum cepisse uno ore fatentur. Verum iidem vehementer cupiunt, caput de Elegantia luculentius uberiusque a Te tractari. Sic enim juvenus in posterum carere posset futili Heineccii de stilo libello.

De conferenda prima Callimachi editione, quae

est

est penes doctiss. Askew, nondum evanuit spes omnis. Sed hac de re Ampliss. Meermannus brevi ad Te scribet.

Abreschius a Graecis scriptoribus obscurandis se ad Latinos convertit. Brevi enim edet Nonium Marcellum. Jo. Schraderus, juvenis sagacissimus et tritus Latinorum poetarum lectione, Animadversionum libros prelo subiecit.

Fasciculum, quem nuper ad Te dimisi, spero Te jam accepisse. Vale, vir amicissime, meque, ut amas, ama. Plurimam Tibi salutem impertit Hemsterhusius noster. Tu meo nomine salutabis elegantissimum Bachium. Dab. Lugduni Batavorum. d. 14. Sept. 1757.

 XI.

VIRO MAGNO,

IO. AUG. ERNESTI

DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Mirifice gaudeo, partem Tuarum in Callimachum Animadversionum brevi ad nos perventuram. Quas quidem tanta cupiditate, quanta nullum unquam librum alias, devorabo. Jam gestit animus illarum se pascere ubertate et elegantia. *εὐρπεδον* nunc Tecum retinendum censeo in Fragm. 129. Sed conjectura

Hhh 2

Tua

Tua in secundo versu Epigr. 49. minus placebat Hemsterhusio. Quid Salmasius tentarit, ex schedula adjuncta cognosces. Felicius coniecisti in ejusdem Epigr. v. 7. ἄκος enim a vero parum abest. Ipsum verum acute vidit Juvenis eruditissimus, Jo. Piersonus, qui mihi dudum scripsit, sibi emendandum videri: Ἐστ' ἀμῖν κ' ἀκεστὺς ἀφειδέα etc. quo etiam Codicis Salmasiani vestigia ducunt. ἀκεστὺς scripsit, ut ἀσπαστὺς apud Suidam, (quod inter fragmenta referes) γελαστὺς, δῖστευτὺς, et alia, de quibus notavi Epist. Crit. II. p. 42. (*). Epigramma 33. ut saepe solet, expressit Aristaenetus L. II. ep. 16. quod a nupero ejus Commentatore non est observatum. In Fragmento, quod Ep. Crit. II. p. 42. tractavi, nunc legere malim:

— Μοῦσαι νιν ἑοῖς ἐπὶ γούνασι τυνῶν ἔθεντο.

Hesychius: Τυνῶς. μικρὸς, τηλικούτος. Eadem opera emendabis Suidam: Ἐκ τιτυῶν. ἐκ μικρῶς ἡλικίας. Portus, probante Kustero, corrigit, ἐκ τυτθῶν. Sed reponenda est forma Dorica, Ἐκ τυνῶν.

Ceterum quae Gesnerus ad Te de Callimachi fragmentis scripsit, a jocante potius, quam a serio loquente profecta esse videntur. Itaque hac ratione non nimis confiderem. Equidem Callimachi Fragmenta eo diligentius tractanda existimo, quo plura iis insunt singularia, nec alibi facile reperiunda. Nam qui plura in Graeca lingua hoc poëta novarit, novi neminem. Neque omnia tam obscura et incerta sunt, quam initio obiter lecta videntur. Memini me aliquando hoc Callimachi fragmentum ex Orionis The-
ba-

[(*) Ed. alt. p. 132. Quae sequuntur, eodem modo correxit V. Cl. ibid. p. 178.]

bani Etymologico MS. Tecum communicare : *Χεῖρ
καὶ χεῖρ, ὁ Φωλεός. — καὶ μετὰ περισσοῦ τοῦ ὄ Καλ-
λμαχος*

Οἱ δ' ὄστ' ἐξ ὀχεῆς σοφίσαι ὄλων ἀρχέν' ἀναυχάνο
Ne Sphingis quidem aenigma magis obscurum esse
potest, quam hic versus. Atqui pignore certare pa-
ratus sum, me ipsam Callimachi manum restituisse :

Οἱ δ' ὄστ' ἐξ ὀχεῆς ὄφισ αἰολος ἀρχέν' ἀνασχών.
Adposite Cicero in Vatin. c. 2. *Repente enim te,
tanquam serpens e latibulis, oculis eminentibus, in-
flato collo, tumidis cervicibus, intulisti.* Jam non
vacat Nicandrum evolvere, ubi loci plures sunt si-
millimi.

Editionis principis Collationem recte ad Te spe-
ro esse perlatam. Sed vereor, ne pro thesauro car-
bones. Variantes quin accurate enotatae sint, non
est quod dubites. Petieram enim et ab Askeo et Gal-
ly, ut vel levissima quaeque excerpent.

Bongiovanni in Iliadem Scholia forte ad Meerman-
num nostrum aut alium misisti. Ego certe nunquam
illa oculis usurpavi. De Libanii Orationibus multum
Te amo. Sed Tu, velim, mihi indices libros, quos
Tibi illorum loco mittam. Alia enim condicione ni-
hil a Te accipere constitui.

In pauculis Joannis Grammii libellis, qui ad no-
titiam meam pervenerint, rectum et probum in lite-
ris nostris iudicium, eximiamque Graecae linguae
scientiam admior. Quodsi mihi vel ex Tua vel ex
amicorum Tuorum bibliothecis omnia ejus opuscula
suppeditarentur, illa Batavis typis descripta, oblivio-
ni eriperem. Quicumque vero vel Dissertatiunculam

mihî suggesterit, illi operum nitide recusorum exemplar cum gratiarum actione donabitur.

Discipulum quendam Tuum, Bauerum, ni fallor, aliquid in Thucydidem scripsisse, nescio ubi legi. Miror, illius libelli nullum exemplar huc esse perlatum.

Hemsterhusius, Tui supra quam credas studiosus, Te etiam atque etiam salutatur. Vale, Vir Magne, meque, ut amas, ama. Dab. Lugduni Batavor. d. 19. Februar. 1758.

XII.

VIRO MAGNO,

IO. AUG. ERNESTI

DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Si quid unquam gratum atque expectatum ad me pervenit, certe Tuae in Callimachum observationes fuerunt: in quibus legendis relegendisque plures cum Hemsterhusio dies jucundissime consumsi, ubique admirans acerrimi vim ingenii, doctrinae exquisitae libertatem, elegantiamque scribendi. Profecto si nullum aliud ingenii Tui monumentum extaret, hae observationes solae facile nomen Tuum immortalitatis memoriae consecrarent. Neque minus, quam ego, illis excutiendis delectatus est Hemsterhusius, qui saepe

pe mirifice laetabatur, Te quasi de compacto in eadem cum ipso incurrisse cogitandi vestigia. Quo praestantius igitur opus Tuum nobis visum fuit, eo majorem operam dandam putavimus, ut ne levissimi quidem naevi in tam pulchro corpore relinquerentur. Notulas nostras in adjectis schedulis reperies, praebituras Tibi largam, ni fallor, disputandi et Callimachum castigandi materiam. Itaque δευτέρας Φροντίδας, quibus priores observationes vel augeas, vel emendes, a Te avidè exspecto; quas ego deinde locis suis diligenter accommodabo. Praestat enim illas suo loco, quam in addendis, legi. In notis Tuis ubique summa humanitate erga doctos homines usus es: erga me quidem nimia, sic ut paucorum etiam locorum, quos Tibi suggesseram, indicium mihi tribueris. Verum cum non consueverim laureolam in mustaceo quaerere, nomen meum passim delevi. Ex talibus nihil mihi laudis vel accrescit vel decedit. Tibi vero, qui Editoris partes sustines, ne levia quidem sunt praetermittenda. Vellem, si per alia negotia Tua liceret, unum alterumve Excursum adderes, v. c. de Pelagonibus, de quibus multa dicenda supersunt. Nam ubi Tu rem aliquam latius tractare instituis, mihi quicquid est eruditorum hominum superare videris.

Exspectaveram etiam literas ad me Tuas, item Libanium Giovanni, atque alia, de quibus mihi superiore anno scripseras. Quae omnia, vereor, ne in via directa perierint. Interea dum Tu insigne animadversionum Tuarum supplementum paras, nos in

Spanhemiano Commentario excudendo pergemus. Visum est mihi commodius futurum, si utriusque voluminis Indices in unum conflati Spanhemiano Commentario sive alteri volumini subjicerentur. Nec multiplicandus est numerus Indicium, ut in Graeviana editione factum. Nam tres sufficiunt, quorum primus designet ipsa verba Callimachi, secundus res, quae Variorum notis continentur, tertius denique auctores veteres vel emendatos vel illustratos. Estne aliquis inter discipulos Tuos, qui praemio, quod Luchtmanni proponunt, invitatus, ingratum Indicium conficiendorum laborem suscipere velit? Nostri quidem homines, quibus plerisque laeta res domi est, nimis fugiunt ejusmodi laborem.

Hemsterhusius, Tui, si quis alius, studiosus, plurimam Tibi salutem impertit. Vale, Vir Eximie, et Bachium nostrum meis verbis saluta. Dab. d. 18. Julii 1758.

Literas, quas posthac ad me dabis, non alia, quam quae per Hamburgum est, via mittas velim.

XIII.

VIRO MAGNO,

IO. AUG. ERNESTI

DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Cum mihi Luchtmannus significaret, se literas ad Te daturum, etsi post satis longam epistolam nuper admodum ad Te scriptam vix quicquam, quod scriberem, haberem, malui tamen undecunque scribendi argumentum arripere, quam plane nihil scribere. Codicis Vossiani collatio, qua usus es, non a me ipso, sed ab alio viro docto facta erat. Itaque ipse his diebus rursus illum Codicem ad editum textum exegi, et Variantes plures ab illo viro docto omissas vidi, quarum suo quamque loco in notis Tuis inserui. Eadem etiam opera animadverti, Vossianum plerumque convenire cum Ambrosiano secundo. Sed nollem neglecta esset quantivis pretii lectio H. in Cer. vs. 93.

— μέσφ' ἐνὶ πλευράς (sic)

Δειλάω ἴρις τε (sic) καὶ θοπέα μούνον ἐλειφθεν.

Hinc si rescribas ἐνὶ πλευραῖς vel ἐπὶ πλευράς, non opus erit Valckenaerij nostri conjectura. In vs. 96. et ipso controverso χά deest in Vossiano, sed spatium vocis relictum. Deinde pro ἔπινα scribitur ἐπυνε (sic). Latet aliquid monstri in hoc versu. Est quoque observatu digna ejusdem Codicis lectio H. in Del. v. 239. nempe εἶρησ προ ἄγγελσ. Dudum etiam

mihî suspicio injecta est, Codicem Regium a Capponnerio non satis accurate esse collatum. Ac jam poenitet, me ipsum, cum Parisiis essem, illum non contulisse. Nulla enim varietas notatur in illis lacunis, a Te indicatis: unde Tu coniecisti, Benenatum vel Stephanum supplementa lacunarum ex illo Codice petiisse. Sed ego minime dubito, quin eadem lacunae sint in MS. Regio, quae in ceteris. Qua de re ut certior essem, nuper amicis meis Parisinis hoc negotii dedi, ut mihi illorum locorum lectionem quam accuratissime enotarent. A Te brevi luculentum notarum Tuarum supplementum expectamus. Operae excidunt initium H. in Dianam. Vale, Vir amicissime, et, quo animo semper in me fuisti, eodem esse perge. Dab. Lugduni Batavorum d. 24. Novembr. 1758.

XIV.

VIRO MAGNO,

IO. AUG. ERNESTI

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Utinam multas similes a Te literas accipiam, quae quo longiores fuerint, eo suaviores gratioresque.

Pro

Pro pulcherrimo munere, nova Homeri editione, maximas Tibi gratias ago. Etsi per alia negotia nondum singula excutere potui, tamen quocunque oculos conicio, intelligens et acre iudicium Tuum admiror. De Vossiani Codicis Lectionibus scripsi ad Valkenarium, quas an missurus sit, nescio. Est enim paulo modestior. Vellem in editionem Tuam etiam coniecisses quicquid boni habet editio Barnesiana: quod adeo exiguum est, ut tribus quatuorve plagulis imprimi potuisset. Nunc propter paucula ista, haec quoque editio magno pretio emenda est. Minus probo Gesneri consilium de addendo Indice Seberiano. Est ille liber satis obuius, et nuper Florentiae recusus. Cur non potius adduntur Scholia minora ad finem editionis Lascaris et aliarum castigata? Quod me ad Homerum ornandum vocas, in eo agnosco humanitatem Tuam. Equidem certum et perpetuum, ut spero, nominis mei domicilium in Platone habeo: in quem et Scholiasten *ἀνέκδοτου* et perpetuas animadversiones separatim edam. Scholiastes ille, Aristophanis et Apollonii Interpretibus similis, multum supra vulgus Grammaticorum sapit, et tam reconditae eruditionis thesaurum alfert, ut ipse Hemsterhusius fateatur, se ab ejus lectione nunquam nisi doctiorem recedere. Sed habeo multo plura quantivis pretii *ἀνέκδοτα*, quibus editis novum Graecis literis lumen oborietur. Homero absoluto, Te ad Josephum rediturum vehementer gaudeo. Ipse Codicem Albertinum cum edito diligentissime committam: qui labor mihi jucundus futurus est cogitatione Tui. Velim tamen Josepho
ita

ita operam naves, ut nunquam ex oculis dimittas Xenophontem. Nemo hodie est, qui melius Te Musam Atticam ornare (*) posset. Valkenarius nuper publice scripsit, Agesilai Vitam, quae nobis omnibus adhuc in deliciis fuit, non Xenophontis esse opus, sed insulsum nugacissimi Sophistae, qui Xenophontis nomen mentiatur, commentum. Spuriam quoque judicat Apologiam Socratis, et quaecunque in Cyropaedia leguntur ad finem usque post verba *καὶ οὕτως ἐτελεύτησεν* p. 238, ed. Leunclav, quamquam de his nondum ausus est publice sententiam dicere.

De Heinio bis terve ad Te scripsi. Sed nihil responsi tuli. Roterodamenses avide exspectant secundas ejus curas in Epictetum. Luchtmanni novae editionis Catulli, Tibulli, Propertii curam illi deferre cupiunt.

Brevi a Te exspectamus Indices cum Praefatione. Omnia mittentur per cursorem publicum. Vecturam solvent Luchtmanni. Vale, decus nostrum, meque, ut amas, ama. Dab. Lugduni Batavorum d. 24. Junii 1760.

In Addendis (†) haec locum invenire poterunt:

H. in Jov.

vs. 13. Vossianus Codex habet *ἐπιμίσγεται*.

vs. 34. Vossian. Cod. habet *κευθμόν*. Ergo alium

Codicem nominare voluisti.

[(*) Temporis consecutio requirit *possit*: et sic Ruhrkenius scripsisse videtur.]

[(†) Maximam partem inveniuntur in Add. ad calcem T. I. Callimachi Ernestini.]

p. 29. pro *Ciceronem* lege *Terentium*.

vs. 83. ἐμβάλλειν τινὶ τι pro *dare* dixit Pindarus Olymp. VII. 79. nec quicquam habet insolens.

H. in Dian.

vs. 25. γυῶν confirmare potuisses ex Maximo περὶ ἀρχῶν vs. 156. et 240.

H. in L. P.

vs. 17. Puto omnes veteres edd. et Codices habere κάτοπτρον.

H. in Cer.

vs. 103. Βόσκε λαβόν. Miror Te sequi veterem versionem, quam recte exposit Spanhemius.

p. 322. in textu legendum: ἐπ' ἐσομένοισιν.

Frischlini et Voetii notas omnes ex hac editione eiecimus, Te, credo, haud invito.

Prodiit his diebus Claudianus P. Burmanni cum praefatione P. Burmanni Secundi, in qua rursus misere vapulat Saxius. Nec prius Archilochus Amstelodamensis satirae scribendae finem faciet, quam Lycamben Ultrajectinum ad restim adegerit.

XV.

EX SEEBODII DIARIO, BIBLIOTHECA
CRITICA (*).

VIRO SUMMO,

IO. AUG. ERNESTI

DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Excisus opusculis Tuis, Luchtmanni a me petierunt, ut Te de praefatione scribenda admonerem. Humanissime Tu quidem praefandi provinciam ad me defers. Sed me triplex professio Historiarum, Eloqui. et Gr. L. ita occupatum tenet, nihil ut aliud agere liceat. Vitae Gesnerianae enarrationem, quaeso, ne differas in aliud tempus. Alii dicent, quam uxorem, quot liberos habuerit. Tu nobis effigiem summi ingenii et doctrinae expressam dabis, quam intueantur bonarum literarum studiosi. Multa per hanc occasionem a Te dici possunt ad rectam studiorum rationem pertinentia. Memini, mihi juveni valde profuisse tallium elogiorum lectionem. Valde mihi tum placebat Bergeri de Schurzfleischio narratio. Sed cum illam nuper alia de caussa in manus sumerem, prope placere desiit. Adeo multos naevos, vir factus, in ea re-

[(*) Kritische Bibliothek. Hildesh. 3er Jahrg. (1821.)
3er Bd. 9es heft. s. 746.]

reperi. Cum praefatione et Gesneri elogio simul ad nos mittas opuscula Tua historici et critici argumenti, quae et ipsa statim prelo subjicientur. Interpretem N. T. quicumque hic legerunt, aureolum libellum vocant, in his idoneus iudex, Albertus. Gesneri Orphicis quid futurum sit, scire cupio. Utinam Tu illorum curam suscipias! Ritterus noster adhuc Vittembergae haeret. Nunquam vidi negotium magis lentum. Cum omnia impedimenta sublata putarem, ecce, hiemis asperitatem praetexere coepit. His modis Curatores jam ultra annum duxit. Ipse Praeses Globigius eum apud Curatores accusavit, quasi mala fide rem extraheret, dum Bruhlius, quae magnifice promisit, praestaret. Verum ego nondum adducor, ut tale quid suspicer de viro, cujus integritatem tot aliis rebus perspexi. Interim Curatores, quos jam dudum inauditae morae taedium cepit, ei, nisi hic fuerit, sub Martii initium, nuncium remittere decreverunt. Si igitur Tibi Ritteri salus curae est, fac, eum quantocius Vittembergae extrudas.

Vale, Vir Summe, meque, ut amas, ama. Hemsterhusius noster et Musgravius Tibi salutem. Dab. Leidae d. 12 Februar. 1762.

DAVIDIS RUHNKENII

EPISTOLAE

AD VIRUM CLARISSIMUM

JO. DAN. RITTERUM.

EX SEEBODII DIARIO, BIBLIOTH.
CRITICA (*).

IX.

VIRO MAGNO,

JO. DAN. RITTERO

DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Variis distentus negotiis, aliquanto serius, quam soleo, ad literas Tuas respondeo; quamvis id Luzacius jam diu urserit. Is enim postulat, ut libros, quos Tibi honorarii loco dari velis, quantocyus designes. Quae conditio si ipsi placuerit, nulla amplius in comora erit. Quicquid Variantium Lectionum aliunde vel pretio vel alio modo comparare potueris, ipso volente, et jubente, compara. Nam ut est vir et honestus

[[(*) Kritische Bibliothek. ebend. s. 747—752. Haec autem Epistolarum trias, nisi sero ad notitiam nostram pervenisset, edenda fuerat supra post p. 800. Plures etiam Ruhnkenii ad Ritterum Epistolas se in posterum daturum esse, pollicetur Diarii Editor.]

stus et pecuniosus, libentissime sumtus, quos fecisti, restituet. Utinam Te ad specimen edendum accingeres: quod forma Epistolari prodi posset. Neque opus videtur, ut novi operis titulus praefigatur. Modo Lectores de subsidiis, quae exspectas, certiores fiant. Certe quicquid in Batavia est Codicum (sunt autem haud pauci) illud omne, me curante, Tuum erit. Maximum vero subsidium non in Variis Lectionibus ponendum arbitror, sed in acerrimo Tuo iudicio, et Critica sagacitate, qua Te mirum in modum valere, novimus omnes. Scribis, Tibi ad specimen concinnandum Codd. lectionibus opus esse. Jam etsi facili opera duo Breviarii exemplaria, quae sunt in Bibliotheca Leidensi, conferre possem; mihi tamen credas, qui hos codices olim versavi, parum adjuvarent conjecturas Tuas. In Collatore LL. Mos. et Rom. Critices Tuae specimen edendum est. Huius vero Codicem in cunctis Europae Bibliothecis frustra quaeras. Tu si ingenium illud sagax advocaveris, Codd. opera Te tantisper carere posse senties. Scis etiam, nos in difficillimis quibusque locis a Codd. solere destitui.

Prodiit nuper Epistola mea Critica I. in Homeridarum Hymnos, et Hesiodum ad Virum Clariss. Valckenarium, quam Tibi dono mittam, quam primum idonea oblata fuerit occasio. Sin minus, nundinis paschalibus una cum Theophilo Reitzii, et Suetonio Oudendorpii (qui nondum prodire) et cum aliis libellis accipies. Ad clarissimum Ernesti libellum meum misi itinere nimis sumtuoso, per cursorem publicum. Scilicet cupiebam, de eo iudicium ferri in

Actis Lipsiensibus. Pag. 73. publice Te honorifice-
que compellavi de Historia Praefecturae Praetorianae
perficienda: quod omnes, qui Specimen Tuum lege-
runt, Wesselingius inprimis, necum exoptant. Ex-
cute igitur Adversaria Tua, et, quae dudum in hunc
finem conguessisti, in ordinem digere, Muratorii ta-
men Inscriptionibus prius consultis, ubi, ni fallor,
lapides quidam Praefectorum Praet. memoriam conser-
varunt. Poteris eadem opera foedissimos aliquot Mu-
ratorii errores profligare, quos contra omnem Anti-
quitatem commisit. Ridebis, scio, hominem p. LXVI.
s. ad marmor, cujus notas haud intellexit, ita com-
mentantem: *Habemus igitur hic Perpetuum Praeto-
rem Urbanum.* Sed Tu, Eruditissime Rittere, ut
dixi, perficias Historiam Praefecturae Praetorianae, et
Peckero, Bibliopolae Leidensi, vel Verbeekiis excu-
dendam (*) committes. Praemium Tibi haud denega-
bitur: quamvis Tibi, qua es animi magnitudine, suf-
ficiat sempiterna gloria istis ingenii monumentis parta.

Sed quando tandem Harmenopulum Cujacianum vi-
debo? Vix fero ejus desiderium; nec parum inde
mei in hoc isto expoliendo imperus retardantur. In-
terea duplex opus mea cura ornatus reddo, Thale-
laeum, (de quo alias scripsi) et Eustathium Ante-
cess. de temporum intervallis. Utrumque Amplissi-
mus Tuique studiosissimus Meermannus novo Juris
Thesauri inseret. Cujus Thesauri Conspectus cum

[(*) Perficias — et — committes. Aut hic committas, aut
illic, quod malim, perficias a Rühkenio scriptum fuit.]

maxime prelum exercet, et cum aliis opusculis ad Te perferetur.

Vivitne adhuc Bergerus? Utinam Bibliotheca illa insignis post mortem ejus divenderetur. Jam nunc nummos seposui, quibus mihi potiores ex ea Codices coeam. Vidistine Schultensii, Orientalium literarum Principis, Epistolam ad Menkenium, qua Reiskium, ingratisimum nebulonem, prorsus pessumedit ac prostravit? Hoc de negotio, Schultensii rogatu, ad doctissimum Ernesti Epistolium scribendum fuit: quod sine mora Lipsiam perferendum curabis. Literas ad me Tuas Ernestinis velim adjungas. Vale, Vir Egregie, meque, ut amas, ama. Dab. Lugduni Batavor. d. 3. Novembr. 1749. ex aedibus Theodori Berkenhoff op de lange Brugge.

X.

CARISSIMO

RITTERO suo

DAVID RUHNKENIUS S. D.

Ex literis Ernestii nostri satis, ut opinor, intellexisti, me omnem lapidem ab aliquo tempore movisse, ut Te ex misera nunc Saxonia in beatiorum Bataviam transferrem. Quos conatus meos cum fortuna semel atque iterum destituerit, nunc incredibilem in

modum gaudeo, exoptatissimam hujus rei consequendae opportunitatem mihi ostendi. Andreas Weissius, praeclarus Juris naturalis et publici doctor, qui hanc Academiam per quindecim annos ingenio et doctrina sua illustravit, superiore anno ab Ordinibus Hagam Comitum evocatus est, ut Principem Arausionensem bonis artibus erudiat. Huic successor quaeritur ab illustrissimis Curatoribus. Aliis alios commendantibus, ego usus adjutoribus, Hemsterhusio, Gaubio et Alberto, excellenti virtute ac doctrina Tua commemoranda rem eo perduxì, ut maxima spes sit, Te ab illustrissimis Curatoribus, postquam Tuam (*) intellexerint, huc vocatum iri. Muneris conditionibus nihil luculentius. Stipendium quidem huic professioni adsignatum tantum est duo mille florenorum Hollandicorum. Sed beneficia et emolumenta adeo superant stipendium, ut annui reditus quinque mille Florenorum vel mille Ducatorum aureorum summam conficiant. Impensae in migrationem faciendae a Curatoribus restituantur. Quod a Te exigitur, sane levissimum est. Duae perpetuae lectiones habendae sunt; altera in divinum Grotii opus de J. B. ac P. altera in Jus publicum Germaniae. Grotianum Collegium ita a juventute Belgica et Britannica celebratur, ut inde Tibi quotannis mille Floreni redeant. Alias disciplinas tradere, Tibi non licet. Habes conditiones muneris: quibus pensatis, quid consilii ceperis, quanto citius ad me perscribe. Quanquam, si me audias,

[(*) Excidisse videtur *mentem*, aut *sententiam*, ut scribit infra p. seq. in f.]

omni omiſſa deliberatione, ſtatim ad nos evolabis. O! quam laetus ille mihi dies illuceſcet, quo Te, cariſſimum caput, hic amplecti poterò. Profecto etſi Batavia mihi ſemper jucundiffima fuit, tamen multo eſt jucundior futura, ſi antiquam noſtram conſuetudinem hic inſtaurare, ſi Tecum una vivere, Tecum ſeria et jocòs miſcere licuerit. Nec religionis negotium Tibi ullum ſcrupulum injicere debet. Quamvis enim in togato ordine ſolus, cui Lutherana formula probetur, futurus ſis, omnes tamen collegae Te tanquam fratrem amabunt et in oculis ferent. Reformati Belgae mitiffime ſunt erga Lutheranos eoſque vix ullo discrimine a ſe differre credunt. Equidem matre natus Lutherana, at patre reformato, ex quo in Belgium veni, patris monitiſ adductus, paternum exemplum ſecutus ſum. Verum etiamſi matris partes praetuliffem, nihil tamen illa res hic obſtiſſet rationibus meis. De alijs rebus ſcribam alias. Sed hoc Tibi fidenter ſpondere auſim, Te nuſquam terrarum tantum antiquae probitatis, fidei, veritatis, quantum hic, reperturum. Quo quid magis conſentaneum eſſe poteſt moribus Tuis ſimplicibus, rectis, omni fucò carentibus? Binas ad me epiftolas ſcribas velim: quarum altera mecum familiariter agat; altera Tuam de migratione et muneris mutatione ſententiam brevibus verbis expreſſam contineat; quae, ſi opus ſit, etiam Curatoribus oſtendi poſſit. Sed reſponſi celeritate opus eſt, ne alii conſilium noſtrum preſando impediant. Ubi quid Tibi animi ſit, intellexerimus, cetera, quae apud Proceres peragenda ſunt, promiſſime expediuntur. Vale, mi optime Rittère. Si ad

Ernestum scripseris, eum meo nomine salutes, et de mittenda Callimachi praefatione admoneas. Dabam Lugduni Batavorum d. 8. Decembr. 1760.

Dixi, Te annos 47 vel 48 natum esse. Credo, non multum fallere meam me conjecturam. Adjecipa fraude, Te Jus naturae etiam Vittembergae interpretari. De Jure publico inter omnes constabat.

X I.

CARISSIMO

RITTERO S U O

DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Magnas animo meo molestias literae Tuae absterere. Nam, ut verum dicam, illud tam diuturnum silentium et mihi et Curatoribus suspectum esse incipiebat: id quod etiam testatus sum literis ad Ernestum (*) scriptis. Itaque nunc tanto magis gaudeo, Te magno et constanti animo in consilio, quod semel suscepisti, perstare. Quid vero dicam de istis aulae mancipiis? Qui etsi belli calamitate ad satis humilem conditionem detrusi sunt, tamen non cessant tyrannica imperia in te exercere. O! mi Rittere, quanto citius ab his fugias, et nobiscum auream Batavorum libertatem gustes. Nos hic omnes reges sumus, in quos

[(*) Cf. supra horum Opusc. p. 368.]

quos nemo mortalium imperium habet. Legibus tantum aequissimis paremus. Quo tempore literae Tuae mihi redditae sunt, ad Allamandum, collegam meum, etiam Varsovia pervenere literae Vatelii. Is de missione Tua cum Bruhlio ipso agens, responsum tulit, Te novo Regis beneficio esse auctum, et migrandi consilium jam abjecisse. Quod miranti Vatelio alii etiam aulici confirmarunt. Ego vero hoc quam falsum et mendacii plenum sit, Curatoribus ex literis Tuis demonstravi. Heri Comes Bentinkius, Curatorum princeps, hac ipsa de re literas ad Bruhlium dedit. Quodsi hoc tempore legatum Varsoviae haberemus, is Ordinum Hollandiae jussu negotium facile expediret. Neque enim, ut tu putas, Hollandiae Ordines privatorum res negligunt, sed non temere faciunt suas. Argentum, quod Rex Tibi debet, non sibi deberi dicent, sed tamen regem amice per legatos monebunt de residuo stipendio solvendo. Equidem, si diutius missio negetur, tibi auctor sum, ut aufugias, aedesque procuratori vendendas relinquant. Jurisjurandi quidem religione Te absentem solvent Vitembergenses; Regisque animus si forte fuga offensus fuerit, a Proceribus reipublicae nostrae lenietur. Paratus est tibi apud nos portus maxime tranquillus, in quem confugias tot adversae fortunae fluctibus jactatus. Si qua rei familiaris jactura facienda est, id pro nihilo ducas. Nam cum maxima Tui per omnem Bataviam sit expectatio, huc delatus brevissimo tempore colliges ingentem vim pecuniae. A Curatoribus vero majora etiam, quam polliciti sunt, suo tempore expectare debes. Illi omnes Tibi unice favent, sed

polent et tua et Academiae causa, negotium ita tardari. Profecto magnum Academiae nostrae detrimentum absentia Tua affert, propterea quod nemo hic est, qui Jus publicum docere possit. Plura scribere, tempore exclusus, non possum. A Te vero peto, ut in posterum minus negligens sis in literis scribendis. Nam quotidie Proceres ex me quaerunt, quo in loco sint res tuae. Vale, mi optime Rittere, et iter Tuum matura. Dab. d. 9. September 1761.

Ancillam Tibi nuper conduxī, nondum facturus, si illam moram praevidere potuissem. Emi etiam sellas quasdam viliores, aliaque ad aedes vendendas et nitidandas pertinentia (*).

[(*) Operae pretium fuerit, cum argumento harum Epistolarum contulisse narrationem Cl. Wyteubachii, Vit. Ruhnken. p. 87—89.

DAVIDIS RUHNKENII

EPISTOLA

AD VIRUM DOCTISSIMUM

W. F. VAN DER WILP.

EXIMIO ERUDITISSIMOQUE VIRO,

W. F. VAN DER WILP

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Et si nimis audacter facere videor, cum Te, Vir Doctissime, tot tamque variis negotiis distentum literis meis interpello: tamen ab insigni Tua, quam optimus quisque celebrat, humanitate facile me veniam impetraturum confido. Ut vero ratio, quae me ad scribendum impulit, penitus a te intelligatur, rem omnem, quam potero brevissime, exponam. Accidit nuper, ut Joannes van der Linden, verum librario- rum ornamentum, et Daniel Goedval, vir nec ipse laude sua fraudandus, me convenirent, quaeritantes, num rationes meae ita ferrent, ut studiis illustris florentissimique Juvenis Sixii praeesse possem? Quam quidem conditionem cum cupidissime amplexarer, de laudatorum virorum sententia nihil prius faciendum fuit, quam ut Tibi, Vir Eximie, cui idonei prae-

ceptoris eligendi cura omnis demandata est, quis essem, quave studiorum ratione uterer, bona fide indicarem; ut nimirum Tu ex iis iudicium facere possis, repudiandusne sim, an studiis tanti adolescentis praeficiendus? Quamquam, ut verum fatear, vix a pudore, quem mea mihi natura tribuit, impetravi, ut has ad te literas darem. Nescio enim, quomodo animus ab iis proferendis abhorreat, quae cum mea aliqua laude videantur esse conjuncta. Diu igitur tergiversantem vicit tandem obstinata amicorum voluntas, mihi hunc quidquid est literarum extorsit. Atque ut hinc ordiar, scito, Vir Praestantissime, me honestis parentibus in Pomerania Borussia natum esse, iisque in primo aetatis flore eruditum artibus, quibus puerilis aetas impertiri solet (*). Annum agens sextum decimum, patria valere jussa, in celeberrimas Germaniae Academias me contuli, ibique per quadriennium, et quod excurrit, ita sum versatus, ut nonnihil quidem temporis philosophiae, plurimum vero jurisprudentiae, historiae, et antiquitati tam Graecae, quam Romanae tribuerem (†). Eodem tempore ad moderanda studia Generosissimi juvenis ab Uffenbach eligebar, quocum aliquanto post, perlustratis nobilissimis Germaniae et Belgii regionibus, in hanc Academiam sum delatus. Ex quo vero ille morte patris conturbatus in patriam remigravit, ego literarum humaniorum dulcedine, et praestantium magistrorum doctrina captus, in Batavia, vera omnis humani-

[(*) Conf. Vita Ruhnk. p. 6 sqq.]

[†] Cf. ibid. p. 11—16.]

tatis nutrice, permanere, ibique fortunam meam, si fieri posset, stabilire, animum induxi. Interea in hac musarum sede ita literis vacavi, ut et meam auxerim doctrinam, et gratiam apud multos interim sane quam luculentam. Obtigerunt autem mihi duces auctoresque complures, quos si vel voto fingendi fuissent, neque elegantiores, neque doctiores optare potuissem, in Jurisprudencia quidem Gerlacus Scheltinga, in antiquit. et histor. Fr. Oudendorpius, in Graecis Joannes Alberti, et inprimis Vir Summus, Tiber. Hemsterhusius, in quo ego colendo patriam mihi constitui pietatem. Horum omnium testimonia mihi non desunt, si haec vel a Te, vel ab ipso Illustri Consule exigantur. Quamquam vix privatis elogiis opus videtur, cum nuper Reverendus Alberti in praefat. ad Hesychium publica me laude dignum putavit. Sed ego profecto rubore suffundor, qui ea de me scribere cogor, quae Tibi magnificentius quam verius dicta videri possunt. Verum prohibeat a me Deus Thrasonum insolentiam, ut prohibet certe. Interim in hac Academia horas subsecivas Constantini Harmonopuli Graeco Promptuario Juris Romani emendando et illustrando dicavi, invitatus ad id cum MSS. quae Bibliotheca publica asservat, copia, tum vero magni Hemsterhusii mei voluntate. Haec fere sunt, Vir praestantissime, quae ad studiorum meorum rationem pertinent, quaeque Te ignorare nolui. De moribus meis malle alios judicium ferre, quam me ipsum, Brevi tamen sic habeto, me, fastiditis seculi deliciis, soli mihi et Musis vivere, et cujusvis potius rei laude, quam integritate vitae et candore vere Germanico

cuiquam mortalium concedere. Quodsi haec erudiendi Generosissimi Sixii provincia Tuâ mihi commendatione obtigerit, Te ego tamquam fortunae meae auctorem et amplificatorem numquam non suspiciam, cultuque prosequar sempiterno. Atque hic finem facerem scribendo, nisi scire cuperem, num forte praesentia mea adjumento mihi esse posset. Quodsi Te ita judicare intellexero, quam primum me in viam dabo. Etiam atque etiam vale, Vir Eximie, mihi-que benevolentia Tua, qua nemini deesse soles, quaeso, subvenias. Lugd. Batav. d. 30. Dec. MDCCXLV.

FRAGMENTA EPISTOLARUM

DAVIDIS RUHNKENII

AD J. D. LENNEPIUM (*).

EX LENNEPII EPIST. AD V. CL.

L. C. VALCKENAERIUM.

De ejus (Coluthi mei) censura (†) sic in literis suis ad me datis Ruhnkenius:

Censorem Reiskium esse cum ex ipso scribendi genere, tum ex ineptissimis, quas protulit, conjecturis satis patet, ne jam dicam idem Lipsiensium amicorum Literis confirmari.

Nostine Ruhnkenium aliud, præter Harmenopulum; meditari opusculum? Hoc ut scias, cujus materiae sit futurum, en R. mei verba:

Inscribetur nomine *Epistolae Criticae* ad virum

[(*) Fragmenta haec, ex Lennepii schedis servata, humaniter nobiscum communicavit Celeb. Wassenbergius.]

[(†) Quae censura prodiit mense Julio a. 1748, ut constat ex Nov. Act. Lips. illius anni p. 398. Ep. autem Crit. I. cujus in sequentibus mentio fit, edita est post diem III. Oct. a. 1749. Ergo illa a Ruhnkenio intra hoc XIV. mensium intervallum scripta esse ad Lennepium, satis perspicuum est. Quod his ipsis fere verbis me in literis monuit Cl. Mahnius.]

elegantissimum *Jo. Aug. Ernesti*. In hanc animus est conijcere capitales maximam partem emendationes, triginta quidem Apollonii Rhodii, octuaginta duas Orphei, viginti tres Callimachi, triginta octo Hymnorum Homericorum, totidem Anthologiae, aliquot Homeri, Aristophanis, Theocriti, Nicandri, aliorum. In primis opera mea versabitur in versibus spuris detegendis, cujus generis nusquam plures, quam in Hymnis Homer. reperi. Ringetur *D'Orvillius*, si toties Anthologiam ad partes vocari viderit; sed rum-patur licet.

Ex seriore R. Ep. afferuntur haec:

Dum quotidie optimos Poetas evolvo, conjecturam numerus ita accrescit, ut jam non una sed plures Epistolae Criticae scribendae sint. Itaque constitui eam, quae Callimachi castigationes continet, *Ernesto* inscribere; — quae Hymnorum Homericorum, *Valo-ke-naerio*; quae Orphei *Hemsterhusio*, atque alias aliis. Vereor ne mihi apud homines imperitos audaciae nota tam contracturus sim, si viderint, me tot versus, de quorum *vobiscum* nemo unquam mortalium suspicatus est, tanquam supposititios et nugaces, obelo configere. Sed horum voculas facile contemnam, dummodo viris judicandi facultate praeditis placuero.

EPISTOLAE DUAE

AD VIRUM CLARISSIMUM

JOANNEM ALBERTUM (*).

VIRO MAGNO,

JOANNI ALBERTI

DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Hesychius Tuus in v. καλιαλ, δηλοῖ, inquit, καὶ σκηνὴν οἰκίαν. 1. σκηνὴν ἢ οἰκίαν, aut, quod Plutarchi locus ab Heinsio allatus suadet, σκηδὴν ἢ οἰκίαν.

Idem habet: καλιῶσαι, πράξαι. Non dubito, quin mecum legendum putes ἀράξαι.

De voce καλιῶσαι quaedam etiam conguessit Lennepius noster Animad. ad Coluth. p. 69.

Liceat bona cum venia Tua unius alteriusque Glossae emendationem in sequent. litt. adicere.

Δανὸν, κῆρ, σοφάτατη ψυχῇ. 1. λάσιον κῆρ (†).

Νεοθάλαμος, καπνός. 1. παστός (§).

Περατεύει, ὀργίζει, λέγει. 1. ὀρίζει, τελεῖ.

Τ.

[(*) Has Epp. benignè nobis impertuit Ven. Senex J. G.

Te Waterus, penes quem sunt earum Autographa. Suspiciatur V. Cl. eas, priorem certe, circiter a. 1759. scriptas esse.]

[(†) Sic jam Stephanus coniecerat, quem vid. ad h. l.]

[(§) Suppresso Ruhnkenii nomine, conjecturam memorat Alberti.]

Ἵπέρβασις — — μαρτυρία. De Glossae sanitare dubitat Jo. Clericus ad Hesiod. Ἡμέρ. v. ult. Legerim, ὑπερβ. μαρία (*).

Vale, Vir Magne, et, quod facis, nobis fave.

VIRO EXIMIO,

JOANNI ALBERTI

DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Κάραρος aequè ac καράσσειν, unde Tibi vocem deducere placuit, an Graeca sint, dubito. Vera scriptura videtur: Κῆραβος, (pro καὶ ἄραβος) ὁ τραχὺς ψόφος, οἶον πριόνων. Ἄραβος et ἀραβέω de armorum, dentiumque stridore passim apud Homerum, Hesiod. in scuto Herculis v. 249 et 404. et Apollon. Rhod. Lib. II. v. 281. ut alios praeteream.

Καπύνιοι, ἀκλουθοι. I. Καπρινοί, (quae forma in Onomastico Vet. extat) ἀκλουστοί (†): Vid. sup. Κάπραινα, et Κάπρας.

Κα-

[(*) Heinsii conjecturam ἡμαρτίαν, ab Eustathio ad Homeri Iliad. firmatam, probavit postea V. Cl. Vid. ann. ad h. Hesychii I. Reliqua hujus ep. omnia in usus suos transtulit Alberti.]

[(†) Conjecturam memorat Alb. ad Hesych. Ruhnken. ipse postea damnavit in Auctario.]

Καράρα, κεφαλή. Καράρα nimis conniventibus oculis legit pro κραίρα (2).

Καρυμνόν, μέλαν. I. Κάρεμνόν, pro καί έρεμνόν.

Κλεμμύειν, κηρύσσειν. I. Καμμηνύειν. supra: Καταμηνύειν, κατακηρύσσειν. Similitudo literarum Α et Λ Hesychio fraudi fuit.

Κρολίαζε, πλησίαζε βάττον. Κρολίαζε mendose pro τροχάζε (3). Vid. inf. Τροχάσας.

Κυλλαίνει, θυμαίνει. I. Σκυδμαίνει. Vid. inf. Σκυδμαίνειν. Millies litera initialis in Hesych. desideratur et literarum Α. Δ. Λ. et Μ. perpetua est confusio. Vel hoc ipsum verbum alio loco exemplum praebet. Nam infra legimus: Σκυλμανείς, θυμωθήση, manifesto errore Α pro Δ. Prope miseret me Lexicographorum, qui haec omnia tanquam proba receperunt.

Χασκάζει, Φλυαρεί, θαπέυει, ρηγνύει. I. Χασικάζει. Infra: Χανεί, Φλυάσσει. Ita enim leg. Χασκάζειν est apud Aristoph. in Vesp. v. 341. sed potestate ab hoc loco aliena. Quod ad alteram Glossae partem attinet, Hesych. χασκάζειν et λακίζειν confudit. Nam ipse supra: Λακίζει, θαπέυει, ρηγνύει, ρήσσει.

Χάσκειν, λέγειν, Φιέγγεσθαι. I. Χάσκειν. Vid. infra: Χανεί, Χάνοι, Χανύειν. Locus Aristophanis Vesp. v. 341. jam aliis hanc in rem est laudatus.

Χάσκουσιν, κύνες κ. λ. Et hoc loco malim Χάσκου-
σιν;

(2) Non notavit Alb.

(3) Amici (ut modeste ait, ne Ruhnkenii nomen pereret) conjecturam improbat Alb.

σιν; vel certe Λακοῦσιν. Infra: Ληήσαι, ὑλακτῆσαι (4).

Λασκαρεῖ, διαφεύγει. Supra: Δάσκαζει, ὑποφεύγει.
Non est dubitandum, quin utrumque corruptum sit
ex Homérico ἡλασκάζει. Similis error infra in v. Δυσ-
κάζει.

Λασταγεῖ, ψοφεῖ. 1. πλαταγεῖ (5).

Λαταγῆ, προτάλλει. 1. πλαταγῆ (6). Vid. Apollon.
Rhod. Lib. II. v. 1057. ibique Scholiast. et Suid.
Sed forte Tibi, mi Alberti, vulgata stare posse
videbitur. At illa sola Hesychii fide nititur; quam
quanti ὄρχαμος noster Bentlejus fecerit, Te minime
omnium fugit.

Λαταγεῖ, ψοφεῖ, τύπτει. 1. πλαταγεῖ — κτυπεῖ (7).
Infra in ejusdem significationis voce: παταγεῖ, ψοφεῖ,
κτυπεῖ.

Ληκεῖ, φοβεῖ. 1. ψοφεῖ. Supra: Λακεῖν, φοβῆσαι.

Δέαδα, ἡ ἐξοχή τῶν πετρῶν. 1. Δέραδα, τὴν ἐξοχὴν
τῶν πετρῶν. Vid. sup. Δέρας et Δειράδας.

Δέδα, ἡ ἐξοχή τῶν πτερυῶν. Lege, ut supra
emendavi: Δέραδα, τὴν ἐξοχὴν τῶν πετρῶν (8).

Δεκίς, παραψίς. 1. Δέρξίς (9). Vid. sup. Δέρξιος.

(4) Tres postremas animadversiones, ut a Ruhnck. da-
mnatas, omisit Alb.

(5) Non memorat Alb.

(6) Non memorat Alb.

(7) Prius, πλαταγεῖ, omisit Alb.

(8) Alteram conjecturam Δέραδα non apposuit Alb. alte-
ram τῶν πετρῶν probavit.

(9) Nec Ruhnkenii δέρξίς, neque etiam suum, quod il-
lius literis adscripserat, ὕψως memoravit Alb.

Δεκτοί, ἀριστεῖς. I. Δεκτοί, ἀρεστοί (10). Supra:
Δεκτὸν, ἀρεστόν.

Δερναία, χολή. I. Ἀεργία, σχολή (11).

Δεῦραι, εὐρίσκειν. I. Δ' εὔραι (12). Saepe illud Δ^o
apud Hesychium vocibus quibusdam perperam adhae-
ret. Vid. Cl. Taylori Lect. Lysiac. p. 703.

Δικρὸν, χλωαρὸν etc. Tres Glossas Hesych. confu-
dit, nempe Διαρὸν, Διερὸν et Φιαρὸν. Διαρὸν est
χλιαρὸν, θερμὸν, ἡδὺ, προσηγές, εὐκρατον. Διερὸν, ὑ-
γρὸν. Φιαρὸν, καθαρὸν. quamvis καθαρὸν etiam ad Διερὸν
referre possis (13).

Δίξει, βίσσει, στάξει, παίξει. I. Βλύξει, βρύει,
στάξει, πηγάξει. Vid. sup. Βλύξει (14).

Δίζουσιν, παίζουσιν. I. Βλύζουσιν, πηγάζουσιν (15).

Λιήμος, ψάμαθος. ΛΙΗΜΟΣ ridiculo errore dedit
pro ΑΜΜΟΣ. Nihil verius.

Λυττεῖ, πολλὰ λαλεῖ. I. Λυάττει. Nondum recte.
Nam reponendum est Φλυάττει. Vid. inf. Φλυάσσει.
Haec corruptela simillima est ei, quam Taylorus
Lect. Lysiac. p. 701. in voce. Δυάξει et Δυάσει
patefecit.

Δύχουον, τράχηνον. Quovis pignore certaverim,
Hc

(10) Praetermisit Alb.

(11) Non dedit Alb, et ipse R. postea improbasse vi-
detur.

(12) Conjecturam, suppresso R. nomine, memorat Alb.

(13) Partim, non nominato R., dedit Alb.

(14) Non memorat Alb.

(15) Omisit Alb. allatis not. 17. aliis ex R. Ep. Crit.
II. p. 64. ed. alt. p. 214.

Hesychium ΔΤΧΝΟΝ legisse, ubi ΔΤΧΕΝΑ oportebat (16).

Λωρὸν, πιερὸν. Redde Λ. quod peritit, ac lege Μωρὸν, vel, si mavis, Χλωρὸν. Utrumque explicationi respondet (17).

Νωχελῆς, ὀμαλός. 1. ἀπαλός (18). Scholiast. vetus ad Nicandri Theriac. p. 29. ed. Aldin. νευχελῆς et ἀπαλός tanquam synonyma conjungit.

Πλάταν, πλιγῆν καὶ πλοῖον. Recte πλάταν interpretatur πλοῖον. Sed quod ad prius attinet, Doricum πλαγὰν cum πλάταν pessime confudit.

Lennepio nostro pro Δαλύνει, πάσσει, πατεῖ, placebat παλύνει, πάσσει, πάττει.

Cum igitur toties Literae, initiales praesertim, ab Hesychio vel omittantur, vel permutentur, miror sane, temerarium hominem, Guyetum, qui mihi saepe ineptiis suis stomachum movet, haec fere omnia Etymologiae, quam ubique crepat, ope Hesychio atque adeo veteri Graeciae vindicare audere. Nam si illum audias, v. c. veteres pro Σκαρβιδες, καρβιδες, pro Γλαυκὰν, λαυκὰν dixere. At sanioris iudicii homines libenter fatebuntur, in his et in infinitis aliis initialium literam, Hesychii ignorantia dicam, an negligentia, desiderari. Tu vero, Vir Summe, Vale, meque, ut amas, ama.

Plu-

(16) Aliam Ruhnkenii conjecturam, Λύγδινον τρέχηνον apposuit Alb.

(17) Monente Alb. postea Ἄωρον probavit Ep. Cr. I. p. 56. ed. alt. p. 88. ubi plura ad hanc Ep. pertinentia.

(18) Non annotavit Alb.

Plures mihi natae sunt, et nascuntur quotidie in
 Hesychium conjecturae, quas alio tempore digeram,
 et Tecum communicabo. Harum quae probae sint,
 proferas: quae secus, tenebris damnes. Equidem
 mihi maximum operae fructum cepisse videbor, si
 his nugis meis Tibi in loca tentata altius inquiren-
 di occasionem praebuero. Iterum vale, Decus no-
 strum.

FRAGMENTA EPISTOLARUM

AD

JO. PIERSONUM, V. DOCT.

EX ADDENDIS AD MOERID. ATTIC.

Pag. 75. C. 2. l. 21. adde: *In Lexico Ms. Bibl. S. Germani, quod Suidas expilavit, glossa sic scripta reperitur: Ἀστικός, ἀσπιζόμενος, πολιτικευόμενος. (sic) εἰφρόντερον ἀσπιζέσθαι τὸ ὠραζέσθαι. γελωτοποιεῖν σκαπτεῖν. (sic), quod monuit me Cl. Ruhnkenius per litteras; cujus haec in alia ad me epistola sunt verba:*

Ubi de πολιτεύεσθαι disputas, forte Te effugit Glossa Cyrilli, unice huc pertinens: Πολιτεύομαι, urbanor. Nempe πολιτεύεσθαι proprie est, civium more se gerere, et ex consequenti lepidum et venustum esse: cui opponitur ἀγροικίζεσθαι, rusticorum more se gerere.

Pag. 93. C. 1. l. 18. Cl. Ruhnkenius in litteris, Forte, inquit, in Moeride legendum Βαλανεύω. Certe Grammaticus Ms. Bibl. S. Germ. vocem, quam adnotaret, dignam censuit. Βαλανεύω. Ἀριστοφάνησ Εἰρήνη· κἀγὼ ἑμαυτὸν (sic) βαλανεύσω. V. 1103.

— 1759.

FRA

FRAGMENTUM EPISTOLAE

AD JUNGIIUM V. DOCTISS.

EX HEERENII, VITA HEYNIII (*).

Sed quid est, quod extra patriam quaeratis, cujus patria copiam praebet? Cur non Gesnero successorem datis CHRISTIANUM GOTTLOB HEYNIUM, Ernestinae disciplinae alumnum, excellenti virum ingenio, qui, quanta Latinarum Litterarum praeditus sit scientia edito Tibullo, quanta Graecarum edito Epicteto ostendit. Hic mea et Hemsterhusii τῷ πάνυ sententia unus est, qui jacturam, quam Gesneri mortē fecistis, resarcire poterit. Nec est quod quis dicat, Heynii famam nondum satis illustrem et pervagatam esse. Tanta, mihi crede, in hoc viro ingenii et doctrinae ubertas est, ut brevi omnino cultior Europa ejus laudes celebratura sit.

Lugd. Bat. a. d. 18. Octobr. 1762.

[(*) Constat ex Vita Ruhnck. p. 113. Ruhnkenii commendatione factum esse, ut Heynius Goettingam vocaretur. Huc ergo pertinet hoc fragmentum, quod exstat in Vita Heynii ab Heeremio scripta p. 74. et nuper Vitae Ruhnck. l. c. appositum est in Vitis Duumvirorum, Tib. Hemsterh. et D. Ruhnkenii, ex Ed. altera, quam curavit Fr. Lindemann, Lips. 1822.]

FRAGMENTUM EPISTOLAE

AD

JAC. FRID. HEUSINGER,

DE COD. MS. ETYM. M. OLIM GUDIANO.

BIBL. BREM. CLASS. V. FASC. SEC. p. 287.

Miratus sum, *Gudium* aliosque illud tamquam Phottii Lexicon venditare potuisse. Est enim Etymologicum, ab edito quidem diversum, sed nec antiquitate nec eruditione cum eo comparandum. Idem in variis bibliothecis superest, ut in Antwerpensi, Ultrajectina et Parisina, in qua ante hos tres annos illud diligenter excussi (*). — 1763.

[(*) Etymologicum istud Gudianum nuper a. 1818, Lipsiae prodiisse curâ F. G. Sturzii, non est quod moneamus. Sed operae pretium est legere Viri docti a Rubnkenii sententia parum discrepans iudicium, proditum in censura novissimae edit. Thesauri L. Gr. Stephan. Diarii Anglici, cui titulus: *The Quarterly Review*, Vol. XLIV, Londini 1820. p. 308.]

FRA.

FRAGMENTUM EPISTOLAE

AD VIRUM CLARISSIMUM

DAN. WYTTENBACHIUM.

EX ANNOT. AD PLUTARCH. DE S. N. V. p. 25.

*H*is ita in chartam conjectis, eximiam mecum istam animadversionem communicavit Cel. Ruhnkenius:

In Proclo (*), scribe: ἐν μὲν οὖν Σπαρτιάταις εἰς ἀρχὴν καθιστάμενοι. In Antiphane (†) ex Attico more scribendum esset κέρου, quod metrum respuit.

Lege et interpunge:

Ἄπολαυε τοῦ ζωμοῦ, βόφει* τοὺς βύστακας

Μὴ καταφρόνει, μηδ' cet.

Fruere jusculo, sorbe. *Barbas*

Ne irride cet.

*βόφει sic est apud Aristophan. Equit. 51. Ἐν-
θου, βόφισεν, ἔντραγ'. Βύστακας intelligo non *labra*
superiora, sed *barbas*. Hesychius. Βύστακα, πώγωνα.

— 1772.

[(*) Ad Hesiod, p. 135. ἐν μὲν οὖν Σπάρτῃ τοῖς εἰς
ἀρχὴν καθισταμένοις, κ. τ. λ.]

[(†) Ar. Athen. IV. p. 143, A. ubi φέρεται τ. β. Wyt-
teub. κέρου τῶν βύστακα conjecerat.]

FRAGMENTA DUO

AD VIRUM CLARISSIMUM

L. C. VALCKENAERIUM,

EX THEOCRITI DECEM IDYLLIIS A
VALCKEN. EDITIS.

Pag. 98.

THEOCR. Id. VI. 29. Σίγα δ' ὕλακτεῖν νιν καὶ τῆ κύνι.] Theocritus scripsisse videtur Σίγα δ' ὕλακτεῖν νιν καὶ τὴν κύνα, hoc sensu: *Sibilo canem incitavi, ut eam allatraret*, tanquam inimicam, quam ante adulabatur ut amicam. Rarius est σίζω vel σίττω, unde σίττα, ψίττα, ψιττάζειν. Frequentius compositum ἐπισίττειν, multis modis corruptum apud Hesych. Vid. Pierson. ad Moer. p. 157. Hesychius: Ἐπιστήγματα, ἐπικελεύματα· Σοφοκλῆς Ἀθάμαντι. ἐπισκαλάματα. Lege: Ἐπισίγματα, — ἐπαλαλάγματα. Apulejus Met. VIII. p. 164. *canes jubilationibus solitiis et cuiuscumodi vocibus notis inhortantur*. ubi vide Pricaeum. Lexicon Rhetor. Ms. Ἐπίσιστον. τὸ συρίζοντας ἐποτρύνειν καὶ ἐπισπίζειν τοὺς κύνας ἐπὶ τὰ ἔργα ἐν τοῖς κυνηγεσίαις, Ἐπίσιστον καλοῦσιν. quae descripsit Etymol. M. p. 363, 54. omisso tamen mendoso verbo ἐπισπίζειν, quod in ἐπισπέρχειν mutandum videtur.

Pag.

Pag. 202. ed. alt. 201.

Sophroneis Tuis forte hoc quoque addi poterit.
 Lexicon Sangerm. MS. Ἀποκιδήσαντες ἀντὶ τοῦ ἀπο-
 κακήσαντες. Ὀμηρος. παρὰ δὲ Σώφρονι Ἀποκαδεῖ, ἀν-
 τὶ τοῦ ἀσθενεῖ, κεῖται. Hinc mutilus Suidae locus ita
 redintegrandus: Ἀποκιδήσαντες. Ὀμηρος, ἀποκακή-
 σαντες, ἀδροντιστήσαντες. παρὰ δὲ Σώφρονι Ἀποκαδεῖ,
 ἀντὶ τοῦ ἀσθενεῖ, κεῖται. Vide an his etiam uti possis,
 ex eodem Lex. Sangerm. Ms. Ἄγτεσθι, ὃ ἡμεῖς
 διζέσθι. Ἐριππος Ἀθηνᾶς γοναῖς ἀπὸ τῆς τραπέζης
 τουτοῦ τὸν στήμονα ἄγτεσθ' ἐπινοῶν. Suidas in Ἄι-
 σμα. — σημαίνει δὲ καὶ τὸ διάσμα. καὶ Σώφρον.

— 1773.

EPISTOLA

AD VIRUM CLARISSIMUM

JAC. VAN VAASSEN (*).

E SAXII ONOM. LITER. P. VIII. p. 40—43.

CLARISSIMO ATQUE ERUDITISSIMO VIRO

JACOBO VAN VAASSEN

DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Cum literae Tuae, eruditionis et humanitatis plenissimae, ad me perferebantur, Academicis occupationibus et curis domesticis ita distinebar, ut responsio necessario in aliud tempus a talibus negotiis vacuum differenda videretur. Aliquanto post feriae paschales respondendi facultatem dederunt. Sed ecce! id me agentem aliae a Te literae opprimunt, acerbam lectissimae uxoris mortem nunciantes. Rursus igitur scribendi officium distuli, ne, tam alieno tempore Tecum de

[(*) Facta hujus Epistolae mentione, Bibl. Crit. P. XI. p. 156, eam judicat Cl. Wytenbachius adeo, accurate, eleganter, ad hominis, cui scribebatur, admonitionem accommodate prudenterque scriptam, ut in exemplum epistolae hujusmodi commendari possit. Ceterum, eam cum editis Vaassenii dictis contendere mereri Animadv. ad Fastos. Rom. Sacros p. 399 sq., monuit Saxius l. 1.]

de communibus literis disputans, Tibi ineptus viderer. Nunc vero, cum et ipse aliquid otii nactus sim, et Te liberiore animo esse sperem, ad singula epistolae Tuae capita, quod dudum faciendum fuerat, rescribam. Quanquam mihi ipse displiceo in eo, quod, in hac prima notitia nostra, mihi necesse est, in alia omnia ire, et conjecturas Tuas convellere. Putas, vir doctissime, parabolam apud Plutarchum tribus locis (*) ita refingendam esse: *ἐκείνης μὲν* (scil. *λεγοῦσης*) *ἀσχολίαν καὶ κόπον ἐχούσης πολλὴν· αὐτὴν δὲ, παρέχουσαν μετὰ σχολῆς* etc. At pace Tua dixisse liceat, haec barbara aut soloeca oratio est, qualis non dicam a Plutarcho, sed ne a Graeculo quidem Seculi XII. proficisci potuit. Nam syntaxis Graeca postulat *ἔχειν* et *παρέχειν*, non *ἐχούσης* et *παρέχουσαν*. Sed pergis ita, ut dicas, festum diem otio, profestum labori dicatum fuisse. Hic, quid Te in errorem induxerit, video. Diem profestum *ἀκριβῶς* et proprie sumsisti, qui populari ratione intelligendus erat. Est quidem dies, qui festum excipit, si proprie et vere loqui velimus, profestus, sed idem ex populi opinione et voluntate, quam Themistocles in hac parabola secutus est, festus. Festus dies apud Graecos consumebatur sacrificando, adorando, publica pompa, et mille aliis cerimoniis, nihil ut temporis, quod genio dari posset, superesset. Sequebatur *ὑπεραία*, quam Tu, vir eruditissime, fingis, non doces, ab *ἐπιβδαῖς* diversam fuisse. Hic demum ex vulgi opinione dies vere festus erat, quod tum victimarum partibus vesci, ludere, genio

[(*) T. II. p. 270, B. 320, E. et T. I. p. 121, B.]

indulgere licebat. Etiam vulgus Batavum, certe opifices Leidenses, diem, qui Pentecosten e. g. excipit, magis festum habent, quam binos dies praecedentes. Ex quibus liquido apparet, parabolae sententiam a Plutarcho rectissime esse expressam. Omnino praeclarus scriptor est Plutarchus, nec Graecae tantum, sed etiam Romanae antiquitatis peritissimus, in quo tam acerbè reprehendendo, cave, lauream quaeras. Novam ejus editionem, me auctore, suscepit discipulorum meorum optimus, Wytténbachius, isque mihi affirmavit, se clarissime demonstraturum, plerasque Plutarchi reprehensiones ab inscitia linguae et antiquitatis profectas esse. Offendit, fateor, homo Graecus aliquando in rebus Romanis. Quid miri? cum ipsi Romanorum doctissimi, Varro, Livius, Festus, etc. in patriis rebus interdum errasse deprehendantur.

In ἐπιβδαῖς, non negem, aliquid obscuritatis superesse. Sed quod in Etymol. M. reponis ἐπιδέχεσθαι, respuit indoles linguae Graecae. Passivum verbum requiritur, non Medium aut Activum. Mihi, re iterum considerata, legendum videtur: πρὸς ἐπίδοσιν, in auctarium. Nec quicquam mutandum praeterea. De ἐπιβδαῖς Ἀπαουρίων plane sentio cum Kuhnio ad Pollucem, cujus sententia facilior est conciliatione Tua. Aristides Kalendas Januarias ἐπιβδαν vocavit, quod ille dies, tametsi profestus, tamen a populo ut festus celebratur. De repotiis disputas erudite post N. Heinsium Adversar. p. 611. sed conjecturis conjecturas apponis. In Hesychio pro παῖσαι scribis te malle πα-

λαι.

λαι. Sed hoc nihili vocabulum est, quod viri docti bene ad Hesych. in ἀπαυλία mutarunt. In glossis adhuc teneo ποδοστροφία, quia nova nupta, ut grammatici dicunt, ad parentes suos redibat. Pro ἐπιποδα an Scaliger recte scripserit ἐπιβδὰ, nescio. Sed hoc scio, ἐπιπόμπα, quod a Te reponitur, Graecis inauditum esse. Omnino nullum certius falsae correctionis argumentum est, quam si quid scriptori inferatur, quod a linguae ratione abhorreat (*).

Vale, Vir eruditissime, et meum in nonnullis dissentium in meliorem partem accipe. Dab. Leidae a. d. 5. Maji. 1776.

[(*) Rem, commode feliciterque hac epistola excussam. Ruhnkenius, adjuvante Hemsterhusio, confecerat ad Tim. p. 87 sq. sive Ed. alt. 119 sq. confer quoque Schol. ad Plat. p. 201, sq. Sed ubinam gentium viri docti bene ad Hesych. (παῖδαι) in ἀπαυλία mutarunt? In ed. priore Tim. R. quanquam subdubitans, ἐπιβδαι conjecit, quam in curis posterioribus praeteriit. Quid sibi velit sive venerandus Saxius, seu typographus, plane me nescire fateor. Supra pro παλαιῖς fortasse πανλῖαι legendum. KIDD.]

NARRATIO
DE VITA D. RUHNKENII

A C. G. HAKENIO

IN ANALECTIS POMERANIS PRODITA (*).

23.

PARS ALTERA NARRATIONUM DE CLA-
RIS ET ERUDITIS. STOLPAE CIVIBUS.

DAVIDES RUHNKENIUS.

Nondum ausus sum, ullius eruditi Pomerani, qui quidem adhuc lucem adspiciat, Vitam in hoc Diario prodere: quum vero Celeberrimus Ruhnkenius, Professor in Academia Lugduno-Batava, res vitae suae praecipuas, manu sua perscriptas, flagitanti mihi

[(*) Hanc Vitae notationem, Latine a Ruhnkenio conscriptam, Germanice a se versam, literas ad se datas, Latine, ut erant, edidit Hakenius, teste Cl. Wytenb. in Vit. Ruhnk. p. 177. Pars illa Anal. Pom. reperta inter nonnullas Wytenbachii schedas, Biblioth. Lugduno-Batavae emtione comparatas, beneficio V. Cl. van Voorst ad nos pervenit. Hakenii autem Germanica Latina fecimus; quae quamquam cum Ruhnkenii exquisita Latinitate nullo modo comparanda, at tamen Literarum studiosis gratiora futura speramus, quam si librum, totum ad Veterum elegantiam compositum, externa barbarie conspurcassetus.]

tradiderit; tanto majore cum fiducia mihi licet, hujus civis nostratis, qui Pomeraniae nostrae tantum decoris conciliat, notitiam cum aequalibus meis communicare.

Doctiss. Pilati Vol. II. Epistt. de rebus Hollandiae, p. 177. sequentem de eo prodidit animadversionem: „Academia Lugduno-Batava etiam nunc duos „habet Professores, qui iisdem ingenii dotibus, at „majoribus subsidiis, eodem universe pulcri amore, at subtiliori singularum venustatum sensu, vestigia magnorum duumvirorum sequuntur, Gronovii et Justi Lipsii, qui olim in eadem Academia humaniores Literas docuerunt, iisdemque cathedris impositi fuerunt; Valckenaerium, dico, et Ruhnkenium.” ex quibus sane judicare licet, hunc dignissimum esse, qui propius noscatur.

Priusquam vero ad ea, quae de eo dicenda habeo, accedam; memorabiles Literas, quas vitae suae Notitiae adjunxerat, praemittere lubet.

PLURIMUM REVERENDO ET DOCTISSIMO VIRO

CHR. GUIL. HAKEN

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Jamdudum humanissimis literis tuis respondissem, nisi nautas Dantiscanos aut Pomeranos, quorum fidei libellos ad Te expeditos committerem, expectandos putassem. Verum cum nulli ab aliquo tempore Amstelodamum venerint, aut, si venerint, notitiam meam

effugerint, libros quidem plures, quos petisti, alia occasione ad Te mittam, scribendi vero officium non patior diutius a Te requiri. Quod scribis Te ingenium et doctrinam ad res Pomeraniae illustrandas contulisse, dicere vix possum quam gratum id mihi acciderit. Adhuc ille ager incultus jacet. Nec quidquam in hoc genere erudite scriptum vidi praeter Schurzfleischii Origines Pomeraniae, quae sunt in ejus operibus historicis. Haec bonorum historicorum penuria facit, ut ego, quamvis et Pomeranus et historiae universalis Professor, nullius tamen gentis historiam minus teneam, quam patriae meae. Quandoquidem vero Tibi, Vir praestantissime, placet me quoque in eruditis Pomeranis recensere; vitae meae narrationem, sed breviter strictimque scriptam, adjeci. Neque enim aut eorum, qui nunc sunt, aut posterorum, interest omnia minutiora scire. Haec tamen si cui non sufficiant ad me totum cognoscendum, is reliqua petat e libris meis.

Vale, Vir plurimum reverende, et quid rerum agas ad me subinde perscribe. De me sic Tibi persuadeas, non esse hominem ad omnia officiorum genera paratorem, et talium virorum, qualis Tu es, amantiorem. Dab. Lugduni Batavorum d. 4. Nov. 1780.

Hae Literae necessario optima quaeque de generosa et praestanti Viri, cujus nunc mentionem facturus sum, indole sperare jubent.

DAVID RÜHNKENIUS hac ipsa in urbe Stolpa, ut scribit, honestissimis parentibus ortus est. Prima disciplinarum elementa, propter certas quasdam

dam propinquorum necessitudines, non in Stolpensi, sed in Schlavensi schola percepit, duce ejusdem Rectore Kniephofio, qui postea per multos annos pari cum laude sua et discipulorum utilitate Coslinensi prae- fuit scholae.

Exinde Regiomontium in Collegium Fridericianum delatus, decursis ejus spatiis a. 1741, consilium coepit Goettingam adeundi, Gesneri maxime fama impulsus. Igitur per Pomeraniam iter faciens, ac per breve tempus apud parentes commoratus, Berolinum proficiscitur ad ea omnia, quaecunque in illa Regia sede visu digna essent, suis ipse oculis spectanda. Antea vero quam Academiam Goettingensem adiret, cepit eum visendae Witebergae desiderium, ut *Bergeri* ac *Ritteri* notitiam sibi compararet. Vix autem horum dumvirorum, qui civitati eruditae tanto fuerunt ornamento, notitia sibi contracta, conciliata item sibi arcissima *Joannis Augusti Ernesti* amicitia, adeo ipsi placuit Witeberga, ut, misso Goettingam adeundi consilio, illius Academiam sibi praeferendam duceret. Literae Latinae, Antiquitas Romana, Historia Universalis et Jus Civile, omnia Witebergae quam optime tra- debantur: solae penitus jacebant Graecae Literae, quarum tamen ardentissimo desiderio tenebatur doctus juvenis. Relictâ igitur Germania, a. 1744. Lugduno- Batavum proficiscitur eo consilio, ut, duce *Tiberio Hemsterhusio*, suam discendi cupiditatem per aliquot annos satiaret; quaeque praeterea desiderabat, in hac Academia reperit, Historiae et Juris Civilis Doctores, vera seculi sui ornamenta. In primis diligenter uti solebat ejusdem urbis Bibliothecae divitiis, unde fa-

ctum est, ut Celeberrimo D. Joanni Alberti in edendo Hesychio operam suam et auxilium praestaret; atque adeo, mortuo Alberto, opus ipse suo Marte absolveret, cujus alterum volumen a. 1766. ex ejus manibus exiit.

Anno 1755. in Galliam sese contulit, et integrum annum Lutetiae Parisiorum transegit, ad Bibliothecam Regiam perscrutandam, partim ut, quae in unaquaque disciplina scitu dignissima sunt, ex hoc thesauro sibi exciperet, partim ut vetustissimos scriptores cum Codicibus Mss. conferret.

Tot tantisque doctrinae divitiis onustus, in Belgium rediit: dum interea magister ejus et alter pater Hemsterhusius, probe perspecta ejus praestantia, a Curatoribus Academiae continuo et sine ulla intermissione petierat, ut sibi, longius aetate provecto, Ruhnkenius in docendi munere adjungeretur. Sic factum est, ut crearetur Professor extraordinarius, sive potius Lector docendis Graecis Literis.

Porro per quatuor annorum spatium, pari et sua laude et studiosae juventutis emolumento, hac statione quam fieri poterat diligentissime functo, post obitum *Francisci Oudendorpii*, delata est ei ordinaria Historiarum et Eloquentiae Professio; nec non a. 1774. Praefectura Bibliothecae Publicae Lugduno-Batavae.

Latissime dispersa Ruhnkenii fama motus Ampliss. Munchusius, eum in Gesneri locum Goettingam evocavit: ipse ab Academia Leidensi relinquenda quam maxime alienus, satis habuit Curatoribus commendare celeberrimum Heynium; cui haec provincia prosperrimo successu demandata est.

A. 1763. matrimonium inlit cum mercatoris Amsterodamensis filia, *Maria Heiermann* (*), quod conjugium duabus carissimis filiabus, *Elisabetha* et *Maria*, beatum voluit Deus O. M.

Scripta, quae nomen ejus commendant, sunt sequentia:

1. Diss. II. de Galla Placidia Augusta. Vitemb. 1743. 4.
2. Epistolae criticae in Homerum, Hesiodum, Callimachum, et Apollonium Rhodium 1749—1751. 8.
3. Thalelaei, Theodori, Stephani, Cyrilli, Commentarii in Tit. D. et Cod. de postulando sive de Advocatis et Procuratoribus. Gr. et Lat. Haegae Comitum 1752. fol.
4. Timaei Sophistae Lexicon vocum Platoniarum cum animadv. Lugd. B. 1754. 8.
5. Orat. de Graecia, artium et doctrinarum inventrice Lugd. B. 1757. 4.
6. Orat. de Doctore umbratico, publice dicta in Academia Lugduno Batava d. XXI. Septbr. 1761. quum ordinariam Historiar. et Eloquentiae professionem auspicaretur. Lugd. Bat. 1761. 4.
7. Hesychii Pars altera. Lugd. Bat. 1766. fol.
8. P. Rutilius Lupus de figuris sententiarum et elucutionis libri duo c. n. accedunt Aquilae Romani et Julii Rufiniani de eod. arg. libri. Lugd. B. 1768. 8.
- 9.

[(*) Paulo aliter Wytttenbachius scripsit *Heirmans*, Vit. Ruhnk. p. 119.]

9. Elogium T. Hemsterhusii. Lugd. B. 1768. 8.
10. Notae in Xenophontem adjectae sunt editioni Ernestinae, Lips. 1772. 8.
11. Vellejus Paterculius. Lugd. Bat. 1779. 8.
12. Notae in Longinum adjectae sunt editioni Toupiana. Oxonii. 1779. 4.
13. Homeri Hymnus in Cererem. Lugd. Bat. 1780. 8.

Sub ejus quoque praesidio juvenis quidam *Petrus Joannes Schardam*, Sparendamo Batavus, ab ipso conscriptam *Dissertationem de vita et scriptis Longini* publice defendit. Quae omnia eruditissimi nostratis scripta, quanquam Viri late patentem Linguarum scientiam, accuratam Antiquitatis notitiam, judicii maturitatem, infinitam fere lectionem, et indefessam diligentiam, summopere testantur; tamen in patria nostra notiora non sunt, quam suae ipse patriae Ruhnkenius notus est: quam ob rem operae pretium duxi, eorum notationem, in laudem ipsius, Anal. nostris Pomer. inserere. Plurimum etiam, qui adhuc vivunt, eruditorum Stolpensium similes Notitias dare, in posterum fortasse mihi licebit.

H.

— Ao. 1780, vel proxime sequenti.

EPISTOLA

AD VIRUM CLARISSIMUM

HERM. BOSSCHAM (*).

ERUDITISSIMO

H. BOSSCHA

S. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Quandoquidem, me auctore, Eutropium ornare instituisti, indicabo Tibi fontem, a ceteris interpretibus neglectum, ex quo, ni fallor, aliquot emendationes vel explicationes in Eutropium derives. Intelligis, me significare Capitonis, Lycii, Metaphrasin Eutropii, versione Paeanii antiquiorem elegantioremq; de qua vide Suidam v. *Καπιτων*. Eam ne forte in perditis habeas, scito, bonam partem superesse apud Jo. Antiochenum in Excerptis Peirescianis, ut Valesius vidit, et apud Suidam, ut Kusterus ad v. *Ἀμύσσειν* et v. *Ἀργηλιανός* indicavit. Alia hujus versionis fragmenta, sed velut in transgressu, contulit Sylburgius ad Paeanium p. 539. His de caussis, operae pretium te facturum arbitror, si, toto Suida perlecto, Capitonis fragmenta, quae ex argumento cognoscere

fa-

[(*) Hanc nobiscum communicavit filius natus maximus, Petrus Bosscha, Professor Daventriensis: Eutropii illa editio prodit a. 1792. erat autem H. Bosscha tunc temporis Rector Gynnasii Harderoviceni.]

facile est, cum Eutropii textu compararis. Quod idem de Antiocheno dictum sit.

Capito non multum post Eutropium vixit, certe ante Stephanum Byzantinum, a quo laudatur.

Vale, vir egregie. Leidæ, d. 28. Jul. 1790.

FRAGMENTUM EPISTOLAE

AD VIRUM DOCTISSIMUM

A. H. L. HEERENIUM.

EX HEERENII NOTITIA CODD. MSS. ECL.

J. STOBÆI. p. XLI, II.

Quod de Eclogarum codice quaeris, nullus unquam fuit in Bibliotheca Vossiana. Nam *P. Colomesius*, qui confecit indicem Vossianorum MSS. in Anglia editum, aut *Stobæi Eclogas ab editis discrepantes* appellavit supplementa ex cod. Antonini Augustini, quae sunt in Vossiana, aut ob oculos habuit alium praeclarum codicem Vossianum, Excerpta ex Stobæi Florilegio complectentem. Qui codex, cum obscure, vel potius inepte, indicatus esset in *catalogo Leidensi* p. 399. vir summus, *L. C. Valckenaerius* operae pretium duxit, accuratissimam ejus descriptionem dare in Diatrib. in Eurip. c. 19. p. 198.

— Aox. 1792.

EPI-

MURMURUM
EPISTOLA
AD VIRUM DOCTISSIMUM
JOANNEM SCHWEIGHAEUSERUM.

EX EJUS EDITIONE POLYBII T. V.
PRAEF. p. XVI, sq.

Recte suspicatus es, Emendationes, per Wyttenbachium ad Te missas, non esse a Scaligero profectas. Ego, hac dubitatione injecta, libri scripturam cum manu Scaligeri, quae in multis Bibliothecae nostrae libris est, accuratius comparans, non parum discriminis vidi: sed, cujus manus sit, ignoro; certe non est Isaaci Vossii, qui librum olim possedit. Verae autem ipsius Scaligeri Emendationes, ab Abrahamo Gronovio laudatae, quo pervenerint, tandem indagavi. In Catalogo Bibliothecae Abr. Gronovii p. 18. haec leguntur: *Polybius graece et latine. Basileae 1549. cum Annot. MSS. Legatum Josephi Scaligeri.* Quod exemplum ex Bibliotheca Heinsiana ad Gronovios transiisse, intelligitur ex Catalogo Bibliothecae Heinsianae p. 284. *Polybius Gr. et Lat. Basil. 1549. Olim Josephi Scaligeri, cujus Notis MSS. in margine passim refertus est. Deinde Danielis Heinsii, qui et sua manu varia addidit.* Jam cum ex Bibliopola, qui Gronovianam Bibliothecam vendidit, quaererem, quis illum Polybium emisset, mihi indi-

cavit Virum Clarissimum, Carolum Segaar, Graecae Linguae Professore in Academia Trajectina. Quem si literis compellaveris, vix dubito quin tibi copiam libri facturus sit.

— Ao. 1792.

E P I S T O L A

AD VIRUM AMPLISSIMUM

B. P. VAN WESELE SCHOLTEN.

*VIRO AMPLISSIMO, EIDEMQUE
ERUDITISSIMO,*

B. P. VAN WESELE SCHOLTEN

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Pergratum mihi accidit, quod ex literis tuis, pari et humanitate et elegantia scriptis, intellexi, gymnasii Delphensis curam potissimum ad te pertinere. Facile enim video, quantum praesidii discipulis meis in Te, tantae tam praestantis doctrinae viro, sit futurum. Quo magis doleo, nunc neminem unum, qui ad illud munus vocari possit, apud nos reperiri. Nam alii nondum ad maturitatem pervenerunt, alii, diutius in hoc curriculo versati, evolare altius cupiunt, nec fa-
ci-

eile adducuntur, ut se in ima subsellia demittant, praesertim cum vulgo ita comparatum sit, ut bajulus aut operarius plus mercedis ferat, quam Grammaticus, pueris Alpha et Beta cantans. Vale, Vir Amplissime, et mihi, quod facis, fave. Dab. Leidae, d. 2. Febr. 1792.

EPISTOLA

AD VIRUM ILLUSTRUM

JOSEPHUM DE RETZER.

EX EDIT. OPERUM HIERON. BALBI,
A RETZERO CURATA.

VIRO ILLUSTRIS

JOS. DE RETZER,

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Etsi praeclara opera, quam *Balbo*, ex inferis ad vitam revocato, navasti, omnibus venerum Latinarum studiosis gratissima accidit, nemini tamen gratior, quam mihi, ejusdem laboris in *Mureto* edendo socio et consorti. Quo majores Tibi gratias pro munere pulcherrimo ago, et me Tibi plane devinctum esse fateor.

In

In carminum Balbinorum lectione cum me multa vitia, quae ex superioribus Edd. in hanc novam, Te invito, irrepserant, non mediocriter turbarent, librum legendum et corrigendum dedi *Laurentio Santenio*, cui haec aetas vix parem habet in Latinis poetis tractandis. Sic natae sunt exquisitissimae in Balbum animadversiones, quas, mea sententia, recte feceris, si ad communem utilitatem protuleris, et, tanquam appendicem, Balbi operibus subjeceris. Video quidem plerosque errores in fine Tomi II. esse sublatos. Sed Santenianae correctiones doctrinam habent utilem futuris poetis. Vale, vir illustris, et quod facis, litteras nostras ornare perge. Dab. Lugd. Bat. d. 20. Jul. 1792. (*).

[(*) Eandem Epistolam, una cum Santenii illis Animadversionibus, repetit C. D. Beckius, in Commentariis societatis Philologicae Lipsiensis, Vol. II. p. 145 sq. Vid. Wyttenbachii Bibl. Crit. P. XI. p. 136.]

EPISTOLA

AD VIRUM DOCTISSIMUM

HIERON. BOSSCHIIUM.

EX EJUS ANTHOL. GR. Vol. IV. PRAEF.

p. 1, sq.

PRAESTANTISSIMO AMICISSIMOQUE
VIRO,

HIERONYMO DE BOSCH

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Quo saepius optavi, ut nos Grotiana versione beares, eo magis et mihi et tibi gratulor de Editione feliciter instituta. Utinam aut mihi Amstelodamum, aut tibi Leidam excurrere liceret, ut hac de re consilia inter nos communicaremus. Quod per literas agere et longum et molestum est, praesertim mihi, cujus digitos arthritidis debilitavit. Ex elegantissima Descriptione tua intellexi, te existimare, Anthologiae exemplum, Sylburgii manu notatum, ex Burmaniana Bibliotheca in Leidensem migrasse, aut certe Codicis Palatini variantes penes me esse. Nihil minus. Olim quidem Leidae apud Lennepium vidi Apographum Salmasii emendationum ad Editionem

nem Aldinam, quod etiam codicis Palatini lectiones continebat, diversum ab eo, quo Brunckius usus est. Sed quo illud post Lennepii mortem pervenerit, nescio. Credo tamen, per Wassenbergium indagari posse. Omnino permagni refert, eas lectiones iterum ad textum constituendum adhiberi, praesertim cum Brunckius hac in re licentius grassatus sit, nec alias lectiones, nisi quas ipse probasset, commemorarit. Quid? si, proxeneta usus Santenio, eruditissimum Chardon de la Rochette adeas, ab eoque petas insignem, quem collegit, apparatus in Anthologiam, sicut ille olim a te petiit versionem Grotianam. Neque enim dubito, quin in tantis patriae turbis arma potius, quam Anthologiam, traeket. Vale, vir egregie, et Wytttenbachium saluta. Leidae, die 9 Martii, 1793. (*).

[(*) Meminit hujus Epistolae, In Censura Anthologiae Bosschianae. Cl. Wytttenbachius Philom. L. II. p. 205 sq. Bosschii a inadversiones, utpote ab h. l. alieniores, nullo lectorum damno praetermitti posse censuimus.]

EPISTOLA

AD VIRUM CLARISSIMUM

G. L. SPALDINGIUM.

EX PRAEFAT. AD QUINCTILIANI EDI-
TIONEM, Vol. I.

Bibliotheca Leidensis tibi tot ac tanta rei bene ge-
rendae praesidia suppeditabit, ut praeterea non ita
multum requirendum videatur. Nam post editum a
Burmanno Quinctilianum, in Bibliothecam publicam
venerunt duo Codd. Mss. nondum excussi, plures
collationes Mss. partim a summo Viro Jo. Frederico
Gronovio, partim a Laurentio Gronovio factae. De-
nique ipse apparatus, quem Ernestus collegerat,
care redemptum in eandem intuli bibliothecam (*).

Dab. d. 20. Octobr. 1793.

[(*) Subjicit his ipse Spaldingius: „Erat summa mihi
„ gratificandi voluntas in Ruhnkenio, viro a nobis, quot
„ quot per Europam Veteres Literas colimus, pro horum
„ sacrorum antistite venerando. Neque minores ei gratias ha-
„ beo, quod tantum concedere voluit homini cognito ex
„ brevissima in docta urbe commoratione; etsi temporum
„ nostrorum iniquitas invidit mihi hasce opes, laetiore for-
„ tasse Europae fortuna usurpandas.” Vid. Cl. Wytttenba-
chius Vit. Ruhnken. p. 193.]

FRA-

FRAGMENTUM EPISTOLAE

MAD AMICUM QUEMDAM.

G. L. STADINGIUM.

EX VITA RUHNK. p. 260.

EX PRÆFAT. AD QUINQUAGESIMAM
PAGINAM, VOL. I.

Quandoquidem mihi sancte promittis, te meorum curam, me mortuo suscepturum; rei facultatumque mearum rationes tibi exponam: res meae sunt illae parvae quidem, sed liquidae: nec habeo multum, nec debeo quidquam (*).

— Ao. circiter 1793.

[(*) Quae fuerit harum Literarum causa, fusius explicavit Cl. Wytttenbachius Vit. Ruhnk. J. c. et p. 264. sq. Quo anno datae sint, ignoramus: sed videntur eodem fere tempore ac proxime praecedentia scriptae esse.]

[(*) Subjicit hic ipse Spaldingius: „Eae summs mihi gratificandi voluntas in Ruhnkenio, viro a nobis quotquot per Europam Vester. Literas colimus, pro horum sacrorum antistite venerando. Neque minores ei gratias habeo, quod tamam concessit, voluit homini cogitare provisionem in doctis tunc commotione; est temporum nostrorum impudens invisibile nihil haec opes, laetior fortasse Europae forma suspensanda. Vid. Cl. Wytttenbachius Vit. Ruhnken. p. 264.]

FRA-

FRA-

FRAGMENTUM EPISTOLAE

AD VIRUM CLARISSIMUM

F. A. WOLFIIUM.

EX WOLFII EPISTOLIS AD HEYNIUM (*).

Iterum et accuratius nunc pervolventi mihi [Prolegomena Tua Homerica] accidit idem, quod illi apud Ciceronem Platonis Phaedonem legenti: *Dum lego, assentior; cum posui librum, omnis illa assensio elabitur.* Sed saepius repetitae lectionis Tibi mox rationem reddam, caet.

— 1795.

[(*) Titulus libri Germanice scripti hic est: *Briefe an Herrn Hofrath Heyne von Professor Wolf. Eine Beilage zu den neuesten Untersuchungen über dem Homer. Berlin bei G. C. Nauk, 1797.* Fragmentum legitur p. 16. Quae autem fuerit Ruhnkenii de Homero ejusque Carminibus sententia, operae pretium est cognoscere ex Wytenbachii Vit. Ruhnk. p. 214: „Reditum,” inquit, „ad Literas ei attulit, brevem quidem, sed tamen reditum, munus inexpectatum Fred. Aug. Wolfii, Homeri editionem ei publice dedicantis. Hunc virum e scriptis ejus, postea epistolarum officio cognitum, unum in primis exterorum accuratae Literarum scientiae causa magni faciebat: ejusque Prolegomena Homerica, tum recens allata, singulari cum voluptate legit, etiam tibi ab

M m m

„ eo

„ eo dissentiret: velut in ea disputatione, quae magnam libri
 „ partem complectitur, qua ostendere conatur, Homeri car-
 „ mina, non ab uno, sed pluribus Poëtis, variis aetatibus
 „ composita, non nisi rhapsodorum memoria cantuque ser-
 „ vata, ignoto adhuc apud Graecos scribendi usu, Pisistra-
 „ tidarum demum aetate scripto mandata esse. Hanc sibi
 „ opinionem non probari aiebat Ruhnkenius: at vehementer
 „ probari designatam egregie viam carminum Homericorum ad
 „ criticam scripturae auctoritatem restituendorum. Et hac
 „ lectione excitabatur ad colligenda, quae de eodem argu-
 „ mento in adversariis sparsa habebat: sed, intervenientibus
 „ mox aliis negotiis, a proposito destitit.”]

